IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

MANTISSA

Ad primum Tomum de S. Cruce nuper tertiò editum & locupletatum.

In qua

I. Disputatio de vino Myrrhato & vasis murrhinis.
II. Apologia pro sancta Cruce,

Aduersus

FRANCISCI IVNII CALVINISTÆ CAVILLATIONES.

Ad

AMPLISSIMVM DOMINVM MARCVM VELSERVM INCLYTAE Reipubl. Augustanæ II.virum.

INGOLSTADII,

Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.

Ex Typographeo, ADAMI SARTORII.

ANNO M. DC VIII.

NOBILI ET AM-
PLISSIMO DOMINO
MARCO VELSERO REIPV-
BLICÆ AVGVSTANÆ
II. VIRO,

IACOBVS GRETSERVS.

NOSTI, MARCE VELSERE, de-
cimum nunc agi, vel potius abi-
iſſe, annum, cum de vino myr-
rhato, cuius meminit S. MAR-
CVS Euangeliſta; & hac occaſione de vaſis
quoq; murrhinis lucubratiunculam quan-
dam contexui, quæ nunc ſub felicibus cla-
riſsimi nominis tui auſpiciis ex Muſei te-
nebris in publicam lucem prodit; minimè
veritura aliorum de ſe iudicia, ſi compro-
betur tuo, qui vt in Republica, ſic & in lite-
ratorum ſenatu, ſummum locū tenes. In-
quiſiui in vinum myrrhatum & murrhi-

na, ſi non proſperè, certè ſtudiosè; idque veritatis amore, non aliis, quos veneror, aduerſandi prurigine.

Nec metuo, fore, vt Petrus Damianus ob hoc de vino opuſculum, diem mihi dicat, & *dicam* ſcribat: qui monaſticæ & religioſæ vitæ Profeſſorem inſtituens. *Nolo*, inquit, *vino affluenter indulgeas, ſiue de eius coloris ſaporiſue diſtantia aliquando diſputare præſumas: hoc tenuis* * *lageos horror exaſperat; illud* * *venachoricæ debilitatis eneruat; iſtud porrò Thaſiam rubet: illud autem aureo Mareotidis decore flaueſcit, prohibetur lectio, nauſeanti vappa eſt. Baptiſmus irrepſit: exſpectabam quidem vinum, ſed huic aquæ perexiguum vini videtur admixtum. Huic ſanè vino Amminea quidem vitis plurimùm contulit, ſed Rhætica propemodum ſuperare contendit. Noli itaque callere quid Argitis, quid Rhodia ſapiat, quem ſuauitatis acorem cum purpureis Preciis Pſythiiſque componat: hæc enim omnia gulæ Philoſophantis ſunt argumenta, & ingurgitationis abominandæ materia.* Iſta Damianus, quæ nihil ad

Damian. lib. 6. Epiſt. 25.

* *Lege Virgilium lib. 2. Georg. Plin. lib. 14 cap. 3.*

* *Videtur leg. Venas Cholica.*

ad me, vel in me, qui de vino non differo, vt bibones inſtruam, & meraciores cyathos miſcere & poſcere doceam, ſed vt quis potus Redemptori noſtro iam iam Cruci ſuffigendo oblatus fuerit, oſtendam, illudque ſimul planum faciam, ad quē calicem quæſtione illa: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Dominus alludat, & alludendo ſuos inuitet, nempe ad myrrhatum, ad felleum & acidum, vno verbo, ad amarum, & guſtui prorſus iniucundum.

Attexui huic diſſertationi breuem Apologiam pro Crucis defenſione contra Poſtumas Iunij Caluiniſtę in ſacroſanctam Crucem & illuſtriſsimum Cardinalem *Bellarminum* S. Crucis Hyperaſpiſten inuictum, contumelias & criminationes. Varij emerſerunt hoc æuo ex inferis oppugnatores & obtrectatores Crucis: ſed vix vidi, qui hunc non dicam ſuperet, ſed vel adæquet. Quocirca cum illo ipſo tempore, quo vinum myrrhatum ſub prælum ibat, in Iunianas chartas incidiſſem; hāc tantam pro-

 fani

ſani Nouatoris in ſacratiſsimum Religionis Chriſtianæ ſymbolum petulantiam irrepercuſſam relinquere non potui: ſed calamum arripui; & quam vides, breuiculam Apologiam confeci. Et tum huic, quàm illi nomen tuum præſcripſi; certam in ſpem ingreſſus; futurum, vt multis, viſo VELSERIANO nomine, amaricies vini myrrhati dulceſcat. & quam nec à ſe, nec ab Auctore ſuo gratiam hominum & beneuolentiam ſibi ſpondere poterat; eam tuæ amplitudinis interuentu acquirat. Vale. Ingolſtadij Kalendis Auguſti M.DCVIII.

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PER SVPERIOREM GERMANIAM.

DVO hæc opuſcula P. Iacobi Gretſeri; *alterum de vino myrrhato, & myrrhinis; alterum, de Cruce Chriſti, Crucis imagine, & ſigno, contra Iunium Caluiniſtam, à quatuor Ordinis noſtri Theologis lecta & probata, Ego* GREGORIVS ROSEPHIVS *Societatis* IESV *per ſuperiorem Germaniam præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali P.* CLAVDIO AQVAVIVA *facta, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc auctori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare volui. Ingolſtadij 13. Iulij 1608.*

Gregorius Roſephius
Prouincialis.

ILLV-

ILLVSTRISSIMVS CARDINALIS BARONIVS IN APPENDICE AD X. ANNALIVM TOMVM.

A*Nno Domini XXXIV. Num. 98. sed quanam re vera esset myrrha, &c.* & quæ sequuntur tota illa quæstione de myrrha, quæ fit vsque ad §. trecentesimum tertium. (*Ad hac insuper ob quæstionem*) quæ cuncta ab Annalibus tollenda censemus, cùm alienos errores de veritate myrrhæ defendere nequaquam velimus: ne, si errare contigerit virum disertissimum, à quo ea accepimus, nobis iam adscribatur error, si à pluribus iam redargutus, adhuc retineatur in chartis nostris. Sit inter Physicos controuersia ista, quorum variæ, & ab inuicem contrariç adeò scribuntur sententię, pugnent inter se ipsos, & me eximant, qui auctorem citando liberaui fidem meam.

ODA-

ODARIVM IN MYRRHINA.

QVID murrha, myrrha, myrrhina atque murrhina;
Dum disputatur gnauiter
Vel inter ipsos Principes Philologiæ;
Nec litis est meta, & modus:
Haud fert laboriosus hanc moram LABOS
Diutius grassarier.
Mox ergo falcem immittit in messem hanc suam,
Mentem, manumq́; operi admouet.
OPINIONVM *occurrit huic primùm seges*
Diuersitate discolor.
Quas inter alma VERITAS *longè emicat,*
Et altius tollit caput:
Ut triticum spicas in auras explicans
Lolia inter, & farraginem.
Virtute sibi sua, atque priuis viribus
Viam arte, Marte perficit.
Ergo LABOS *succidit impete obuia;*
Et falce, quod creuit, metit.
Natabus hinc mandat suis PRVDENTIAE,
SOPHIAEQVE; *frugem vt nobilem*

b *Curâ*

Curâ legant, atque in maniplos colligant:
Superſtes omne, propalàm
In pabulum ſinant iacere pecudibus
Quodcunque vile, vel vagum.
Dictum, atque factum protinus. ſtat horreum hinc
Segetibus hornis horridum.
Sed & PHYSIS benigna promit abditis
E ſinibus in DONARIVM
Precioſa, quæ latuêre tot ſeclis ſolo,
Maiora gemmis MYRRHINA.
At nec LABOS celans, vel abdens munera
Vult eſſe IVRIS PVBLICI.

INDEX

INDEX CAPITVM DISPVTATIONIS DE VINO MYRRHATO ET MVRRHINIS.

INDEX CAPITVM APOLOGIÆ PRO SANCTA CRVCE.

DE

DE VINO MYRRHATO ET MVRRHINIS LIBER SINGVLARIS

CAPVT PRIMVM.

De potu Christo Domino ante crucifixionem oblato: & num is geminus, an vnus tantùm?

CVM Dominus ad montem Caluariæ, locum crucifixioni destinatum, venisset; *dederunt ei*, vt inquit S. Matthęus, *vinum bibere cum felle mixtum.* Vel, vt verba S. Marci referam: *dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Hoc ante crucifixionem accidisse, conuenit inter omnes interpretes. Sed controuersum est, vtrum Domino semel duntaxat ante crucifixionem potus fuerit oblatus, an bis, atque adeò, vtrum S. Matthæus & S. Marcus loquantur de eôdem potu?

Matth. 27.
Marc. 15.

Sunt nonnulli doctrina & nominis celebritate clarissimi viri, qui putent, bis Domino potum oblatum: *Semel, vt narrat S. Matthaus: altera vice, vt narrat S. Marcus.* Addunt; *vinum myrrhatum non fuisse amarum, & insuaue, vt interpretes communiter censent; sed perquam iucundum, & gratum. Sic enim dictum, quod in vasis myrrhinis ad saporem, odoremq́ quaerendum, calidum poneretur*: probantque suam sententiam auctoritate Plinij & Martialis. Ex quibus constare dicunt, *vinum myrrhatum, quod & myrrhinum, magno in honore & precio priscis fuisse.*

His conuenienter colligunt; *vinum hoc Christo non propinatum ex odio, sed ex commiseratione aliorum, qui id attulerint, vt aliquid solatij Christo, vel etiam aliis damnatis afferretur. Imò communis*, inquiunt, *apud Hebraeos consuetudo erat, damnatis dare vinum optimum*, iuxta illud: *date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.*

Prouerb. 31.

Accedit quod Dominus vinum felle mixtum saltem gustauit, vt refert Matthæus: at vinum myrrhatum non accepit, teste S. Marco. Cur hoc, nisi quod quamlibet quauis occasione oblatam consolationem admittere recusauit; cum vinum felle mixtum saltem gustasse, & oblatum calamo acetum accepisse Euangelista tradant.

Verum enim verò vtrumq; Euangelistam de eodem potu loqui, communis est SS. Patrum, & recentiorum Interpretum sententia. Et certè ipsa verba Euangelistarum, & omnes circumstantiæ id videntur suadere. Ita enim Matthæus: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus; & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et, cùm gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, &c.*

S. Marci hæc sunt verba: *Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Caluariæ locus: & dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit: & crucifigentes eum, &c.* Quis non videt, consideratis iis, quæ antecedunt, & quæ sequuntur, de eôdem potu loqui Euangelistas?

Obiiciunt: Græcos codices apud S. Matthæum nunc habere ὄξος, id est, *acetum felle mixtum, non vinum*: at S. Marcum vini mentionem facere. diuersos igitur fuisse potus. Respondeo, in Latinis libris communiter legi, *vinum*, vt & S. Hilarius legit, & S. Ambrosius, & S. Augustinus, & Iuuencus, & Sedulius. quæ lectio habetur itidem in bibliis *Clementis VIII*. quę, vt omnium correctissima & emendatissima, Pontificis mandato, publicè & priuatim sequenda sunt.

Hilar. can. 33. in Matth. Ambros. in Luc. Aug. lib. 3. de consens. Euan. cap. 11. Iuuen. lib. 4. hist. Euan. Sedul. lib. 4. Paschal. Iansen. in cap. 143. Conc.

Deinde, licet Græci Codices vocabulum ὄξος plerumque habeant, tamen, vt rectè annotat Iansenius, procliuis lapsus fuit, pro οἶνος reponere ὄξος, ob affinitatem vocabulorum. Præterea, posito S. Matthæum scripsisse ὄξος, non tamen rectè concluditur id, quod alij auctores volunt: Potuerunt enim vinum non modò felle, sed & aceto miscere: vt eo amariorem haustum Domino offerrent; præsertim cum ex ipso Matthæo, & S. Ioanne constet, acetum adfuisse, & postea Domino in cruce propinatum esse: & huius misturæ intuitu nominauit fortassis Matthæus totam illam potionem non vinum, sed acetum.

Fortè etiam *aceti* nomine intellexit S. Matthæus vinum asperum, ingratum, & acidum: eo modo, quo nos iam vulgò talia vina *aceti* nomine indigitare solemus. Nam *& vinum acetum dici potest*, inquit Theophylactus, *quia acetosum. Acetum enim*, ait S. Augustinus, *vinum vetus dicitur.*

Theophyl. in cap. 15. Mar. Aug. in Psal. 68.

Nec illud nobis officit, quòd Matthæus nominat hoc *vinum felle mixtum*: alter, *myrrhatum*. Nam & felle & myrrha mixtum esse potuit, vt

vt ſentit S. Auguſtinus, quem Beda & alij ſequuntur: cùm amarities ambobus guſtui valde inſuauis, & iniucunda inſit.

Aug. lib. 3. de conſen. Euang.

Fortaſsis etiam id, quod S. Matthæus proprio nomine appellauit *fel*, Marcus propter ſimilem acerbitatem metaphoricè nominauit myrrham: Myrrham enim gratum quidem odorem halare naribus; at amariſsimam & acerbiſsimam eſſe, omnium tam profanorum, quàm ſacrorum Auctorum ſententia eſt: Vel, vice verſa, id quod Marcus propriè vocauit myrrham, forſan Matthæus metaphoricè appellauit *fel*. Quo pacto Theophylactus & Beda id intellexiſſe videntur: *Conueniunt*, inquit Theophylactus, *quod dicit ille myrrhatum vinum: alius, acetum cum felle. Nam & vinum acetum dici poteſt. quia acetoſum: & myrrha, fel; quia amara.*

Theoph. in cap. 15. Marc. Bed. ibid.

Beda: *Hoc, quod ait Marcus, myrrhatum vinum: intelligendum eſt, Matthæum dixiſſe, cum felle mixtum. Fel quippe pro amaritudine poſuit. Et myrrhatum vinum amariſſimum eſt. Quanquam fieri poſſit, vt & felle, & myrrha vinum amariſſimum redderetur.* Hæc Beda, imò S. Auguſtinus. Nam Beda & hæc, & quæ paulò pòſt referemus, ad verbum accepit ex præclariſsimo illo opere S. Auguſtini de conſenſu Euangeliſtarum.

Nec refert, quòd Matthæus ſcribit; Dominum *vinum felle mixtum* guſtaſſe: Marcus autem eundem myrrhatum non accepiſſe: Nam *non accipere* apud S. Marcum, idem eſt, quod *non bibere*, quod Matthæus habet: licet enim quis vinum guſtet, & modicè libet, ſi tamen, guſtato poculo, illud reponat, rectè dici poteſt, poculum, vel vinum illud non accepiſſe.

Quod Marcus ait, inquit ex S. Auguſtino Beda, *non accepit; intelligitur non accepit, vt biberet; guſtauit autem ſicut Matthæus teſtis eſt; vt quod idem Matthæus ait, noluit bibere, hoc Marcus dixerit, non accepit. Tacuerit autem quod guſtauerit.* Quare & Chryſoſtomus: *Nihil intereſt*, ait, *inter guſtare ſimpliciter, & non bibere. ſed de vno ac eòdem dicuntur.*

Chryſ. hom. 88. in Matth.

CAPVT II.

Vinum myrrhatum non fuiſſe ſuaue & iucundum, probatur primo ex ipſa myrrhæ natura.

VERVM ENIMVERÒ licet maximè concederemus id, quod pro improbabili ducimus, de diuerſis potibus loquutos eſſe Matthæum & Marcum: myrrhamque non metaphoricè pro felle vſurpaſſe S. Marcum, vt nonnulli non prorſus abſque omni veriſimilitudine ſuſpicantur, ſed propriè pro lachrymis arboris; quæ, vt inquit Dioſcorides; *in Arabia gignitur;*

Dioſc. lib. 1. cap. 67.

Ægyptiæ spinæ non dissimilis: nego tamen vinum myrrhatum fuisse dulce, gustatuque iucundum: quod multis, variisque argumentis demonstrare licet:& in primis ex ipsa natura myrrhæ:nam vinum myrrhatum eo modo appellatur, quo *absinthiacum*, seu *absinthites*; *vinum ex alumine, vinum iuniperinum, cerasinum*, & in tertio Machabæorum libro οἶνος λιβανωμένος, *vinum ex thure, vel thurinum*. At ista hoc nomen habent ab absinthio, alumine, granis iuniperi, & cerasis vino natiuo impositis: Pari igitur ratione vinum myrrhatum ab imposita myrrha hoc nomen inuenit:sicut & S. Augustinus appellat *vinum fellitum*, quod S.Matthæus, *felle mixtum*.

S. August. de temp. serm. 151.

Idem satis indicat verbum Græcum, quo vsus est Marcus, οἶνος ἐσμυρνισμένος, quod interpres ad verbum vertit, *vinum myrrhatum*, hoc est, myrrha perfusum & permixtum. Vt enim *myrrhata cadauera*, seu *corpora*, Græcè σώματα ἐσμυρνισμένα, vocantur illa, quæ myrrhæ lacrymis sunt delibuta & peruncta, putrefactionis arcendę causa: ita οἶνος ἐσμυρνισμένος, seu *vinum myrrhatum*, aliud non est, quàm vinum cui myrrha sit affusa. Si ęnim σμυρνίζειν est, *myrrha perfundi*, oportet, vt participium eius, ἐσμυρνισμένος sit idem, quod *myrrha perfusum esse*. At fieri nequit, vt vinum, cui indita myrrha, sit suaue & gratum gustui. quia, myrrha amara, imò amarissima est, vt antè ex S. Augustino, Beda, & Theophylacto audiuimus: idemque dicit Euthymius & S.Cyrillus, dum ait: *myrrham fellis instar amaram esse*. Et qui de myrrha scribunt, vt Dioscorides, Plinius, Theophrastus, & alij omnes vno ore amaritiem ei attribuunt, imò & ex amaritie præstantiam myrrhæ diiudicare solent: Hinc, qui adulterinam pro germana myrrha vendere volunt, amaritie illam commendant. *Adulteratur*, inquit Plinius, *cucumeris succo, amaritudinis causa*. Quod de succo agrestis cucumeris intelligendum monet Dalechampius, Plinij Scholiastes.

Cap. 1. Euthy. in cap. 17. Matth. Cyrill. cat. 13. Diosc. loc. cit. Plin. lib. 12. c. 15. & 16. Theophr. lib. de odor. Plin. li. 12. c. 16. Idem lib. 13. c. 1.

Idem Plinius scribit; Ex myrrha sola non confici vnguentum, excepta stacte, *ob nimiam amaritudinem*. Et sancti Patres, qui spirituales sacræ Scripturæ sensus tractant, per myrrham, aiunt, carnis *mortificationem* significari, analogia à myrrhæ amaritie petita. Vt enim illa amara est, ita & carnis edomationem amaram esse. Nominatim autem id facit D. Gregorius scribens in Canticum Canticorum, in quibus *myrrhæ* nomen sæpe occurrit; & Homil. 10. super Euangelia, vbi explicat dona à Magis Christo recens nato oblata: *Per myrrham*, inquit, *carnis nostræ mortificatio figuratur; Vnde sancta Ecclesia de suis operariis vsque ad mortem pro* DEO *certantibus dicit; Manus meæ stillauerunt myrrham*. Si igitur myrrha amarissima est, quomodo ex illa suauis potio confici potest?

Can. 5.

Occur-

Occurrunt: *Vinum myrrhatum non habuisse suam dulcedinem ex myrrha, sed ex aliis admixtis speciebus; non enim tantùm myrrham, sed & alia aromata addidisse, teste Plinio: Lautissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita, vt apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur; quanquam in ea & calamum addi iubet.*

Plin. lib. 14. c. 13.

Hæc facilè refelluntur: In primis enim, vt de lectione Plinij nondum disputem: vtrum videlicet Plinius *myrrhæ*, an *myri*, an *muræ*, seu *murrhæ*, an *murino*, seu *myrtæ* vel *myrti* scripserit: improbabile est priscos dulcem & iucundam potionem conficere volentes, imposuisse myrrham, hoc est, rem amarissimam, & vt ex S. Cyrillo audiuimus, planè felleam. Hæc enim potionis suauitatem potius impediuisset, quàm iuuisset, vt notum est.

Deinde S. Marcus nihil dicit de aliis aromatum speciebus huic vino iniectis, sed absolutè, & simpliciter *vinum myrrhatum* nominat, nulla variorum aromatum mentione facta.

Tertiò dico, errare Plinium, si, quod isti volunt, scripsit: nam Plautus in Persa nihil habet de myrrha eo loco, ad quem respexit Plinius. Ita enim non procul ab initio Toxilus seruus commentitio coquo:

> *Commisce mulsum, struthea, coluthea, aquam appara,*
> *Benè vt in scutris* (hoc est scutellis) *concaleat, & calamum iniice.*

De strutheis lege Plin. lib. 15. cap. 11 Coluthea interpretatur Lambin. tragemata, bellaria.

Iubet enim calamum odoriferum inijci non vino myrrhato, de quo nullum ibidem verbulum, sed aquæ calefaciendæ in potum. Nam seruus simulabat se velle, vt verbis Plautinis vtar, *thermopotare gutturem*. Sed de loco Plauti plura suo loco.

Ad extremum, si vinum myrrhatum tam preciosum, delicatum & apud veteres tantopere vsitatum fuit, qui, quæso, fit, quod nulla eius exstat in eorum monumentis mentio; qui accuratè omnia vini genera persecuti sunt? Ex quorum numero haud postremus Athenæus, qui de vinis tam quæ natura, quàm quæ ars producit, copiosè differens, nullum nobis οἶνον ἐσμυρνισμένον propinat. ἐχρῶντο οἱ ἀρχαῖοι καὶ πόματί τινι ἐξ ἀρωμάτων κατασκευαζομένῳ, ὃ ἐκάλουν τρίμμα. *Vtebantur veteres potione quadam ex aromatibus confecta, quam vocabant Trimma*, hoc est, *intritam*. ἐχρῶντο καὶ ἑφθοῖς οἴνοις. *Vtebantur etiam coctis vinis.* Mox de Anthosmia seu vino odorifero agere incipit, in cuius catalogo apparet quidem οἶνος μυρτίτης, ἢ μυῤῥίνης, sed nihil iste ad οἶνον ἐσμυρνισμένον. Nam quod Auctores contrariæ sententiæ myrrhinam seu murrhinam, & vasa murrhina huc trahunt, parum nos sollicitos habet; quia nihil horum ad οἶνον ἐσμυρνισμένον pertinet, vt in progressu huius disputationis planum faciemus. Non eo inficias, priscos poculentis iniecisse vn-

Athen. lib. 1. non procul à fine.

se vnguenta,& id genus alia odoramentorum genera; sed de smyrna seu myrrha indita, à qua potus ipse appellatus sit ἐσμυρνισμένον, mirum vbique est silentium.

CAPVT III.

Locum quendam Athenæi nihil ad hanc opinionem de dulcedine vini myrrhati facere.

Athen. lib. 1. cap. 3.

VRGENT nos loco quodam Athenæi, quo, vt dicunt, declaratur; quibus aromatis huiusmodi vinum myrrhatum condiri consueuerit. Sic autem scribit Athenæus ex Aristotele: *Aristoteles in libro de ebrietate: Ollula, inquit, etiam quæ Rhodiacæ dicuntur, tum ob voluptatem inferuntur in conuiuia, tum quia, cum vinum calefaciant, minus ebrietatem inferri patiuntur. Nam si myrrha, lentiscus, resq; huiusmodi in aquam iniecta coquantur, ac mox vino misceantur, minus, qui bibunt, fiunt ebrij.*

Alibi dicit: *Fiunt ollulæ Rhodiacæ, myrrha, lentiscíq; floribus, croco, balsamo, amomo, & cinnamomo simul coctis, ex quibus, quæ vino mixta fuerit aqua, ita sistit ebrietatem, vt vel Venerem sedet, surgentesq; etiam spiritus digerat.*

Cæterum ex hoc loco Athenæi nihil aliud colligitur, quàm ad quendam potum aquæ conficiendum, adhiberi solitam myrrham; quæ tamen non magis dici potuit aqua *myrrhata*, seu ἐσμυρνισμένη, quàm ἐσχινισμένη à floribus *lentisci*, seu *odorati iunci*, vel quàm aqua ex croco, balsamo, amomo, cinnamomo; cum ad confectionem illius aquæ, hæc æquè fuerint adhibita, ac myrrha. Deinde nos hîc non quærimus de aqua *myrrhata*, sed de vino *myrrhato*. *At fiebat vinum myrrhatum tunc, cùm illa aqua, in Rhodiacis ollulis præparata, vino infundebatur.* Certè illud vinum non magis erat myrrhatum, seu ἐσμυρνισμένον, quàm ἐσχινισμένον, seu *lentiscinum*, &, vt ita loquamur, *croceatum*, *balsamizatum*, & *cinnamomizatum*. Cùm enim in illa aqua, tam varia miscerentur aromata, non potuit aut aqua, aut vinum ab vna myrrha nomen inuenire, præsertim cùm reliqua myrrham nobilitate, & precio superarent, myrrhaque minori pondere adhibita fuerit, quàm alia. Si enim maiori, aut pari copia adiuncta fuisset, potionem reddidisset amaram. Solet autem à potiori, vt vulgò dicitur, *denominatio sumi*.

Accedit, quod neque Aristoteles, neque Athæneus huius aquæ, vel vini genus appellauit *myrrhatum*, seu ἐσμυρνισμένον; aut, si alteruter eorum, aquæ, vel vino hac aqua permisto id nomen tribuit, ostendatur locus, & fatebor vinum myrrhatum fuisse gratum & iucundum.

Præ-

Præterea loci illius ex Athenæo allati, aliam dico esse sententiam, quàm doctissimi viri putent, vel etiam Latinus Interpres reddiderit: quod, vt ab his, qui Græcè norunt, clarè perspiciatur, adscribam in primis ipsa Græca verba Athenæi. Agens enim de poculis fictilibus preciosis, & quæ in summis deliciis habita, ita scribit: ἐγὼ δὲ σὺ οἶδα, ὅτι ἥδιστα πολλάκις ἐστὶ τὰ κεράμια ἐκπώματα, ὡς καὶ τὰ παρ' ἡμῖν ἐκ τῆς κόπτου κατασκευαζόμενα. μετὰ γὰρ ἀρωμάτων συμφυρασθείσης τῆς γῆς ὀπτᾶται. *Benè noui crebrò fictilia pocula esse gratissima, vt apud nos illa, quæ ex Copto afferuntur. Coquuntur enim, seu conficiuntur ex terra aromatis mista.*

Natalis Comes.

Athen. loc. cit.

Tum mox genus quoddam huiuscemodi fictilium adducens Athenæus, *Rhodiacas ollulas* affert ex Aristotele. Αἱ ῥοδιακαὶ, φησί, χυτρίδες διά τε τὴν ἡδονὴν εἰς τὰς μέθας παραφέρονται, καὶ διὰ τὸ θερμαινομένας τὸν οἶνον, ἧττον ποιεῖν μεθύσκειν. *Rhodiacæ ollulæ, inquit, in compotationibus vsui sunt, tum voluptatis causa, tum quod vinum calefacientes, faciunt, vt qui bibunt, inebrientur minus.*

Deinde exponit, quomodo χυτρίδες istę conficiantur; σμύρνης γὰρ, καὶ σχίνου, καὶ τῶν τοιούτων εἰς τὸν οἶνον ἐμβληθέντων ἕψονται, καὶ παραχυθέντων εἰς τὸν οἶνον, ἧττον μεθύσκουσι. *Coquuntur enim,* (ollulæ Rhodiacæ) *ex myrrha, lentisco, & similibus in vinum iniectis: ex quibus, si vino affundant, minus inebriantur.* Hic enim sensus est Athenæi, quem neque Natalis, neque Dalechampius intellexit.

Subdit Athenæus ex eodem Aristotele: Αἱ ῥοδιακαὶ χυτρίδες γίνονται σμύρνης, σχίνου ἄνθους, κρόκου, βαλσάμου, ἀμώμου, κινναμώμου συνεψηθέντων, ἀφ' ὧν τὸ γινόμενον τῷ οἴνῳ παραχυθὲν, οὕτω μέθας ἵστησιν, ὥστε καὶ τῶν ἀφροδισίων παραλύειν τὰ πνεύματα πέττον. *Rhodiacæ ollulæ conficiuntur ex myrrha, floribus lentisci, croco, balsamo, amomo, cinnamomo simul coctis, ex quibus bibi solitum, si vino affundatur, sic ebrietatem cohibet, vt & à Venereis planè liberet, spiritus digerens.* Vbi luce clarius est, Athenæum non loqui de confectione potionis alicuius in ollulis Rhodiacis, sed de confectione ipsarum ollularum Rhodiacarum. Ait enim: γίνονται αἱ ῥοδιακαὶ χυτρίδες: *fiunt, seu conficiuntur ollulæ Rhodiacæ,* &c. & superius proposuerat agere de poculis, quæ conficiebantur ex preciosis aromatis. Huius generis exemplum adducit illa Rhodiaca poteria: imò argumentum libri illius vndecimi sunt varia ἐκπώματα, seu pocula, vt patet tum ex fine libri decimi, tum ex ipso libro vndecimo.

Quid igitur locus iste opinionem illam de vino myrrhato iuuare queat, alij iudicent. An enim vinum myrrathum rectè appellabitur id, quod bibitur de poculo, variis ex aromatis confecto, vel cui mistura aquæ affunditur, excepta prius in huiusmodi poculis? Denique siue iste sit Athenæi sensus, vt certè est, siue ille alter, quis credat, genus

nus hoc propomatis, de quo Aristoteles & Athenæus, à gulonibus & bibonibus repertum, potationibusque præmissum, vt in poculorum conflictu potentiores meri efficerentur, apud Iudæos fuisse vsitatum, vel Christo propinatum, vel ab Euangelista Marco *vini myrrhati* nomine significatum, cùm non nisi apud potatores eius vsus fuerit; qui hoc medicamine sese ad largiores haustus inuitabant, & irritabant, & ab ebrietate præseruabant?

Potuissent Auctores huius sententiæ accommodatius fortassis afferre *vinum myrrhatum* ex Dioscoride. Is enim inter cætera factitia vina, commemorat vinum *ex myrrha, pipere candido, iride, & aniso* confectum. Sed non dicent, opinor, Christo sub cruce porrectam potionem medicam ad destillationes, cruditates, tussim, inflationes, & humores stomachi discutiendos. Vt taceam, vinum hoc à Dioscoride non appellari *myrrhatum*, sed vinum ex variis aromatis.

Diosc. lib. 5. c. 41.

Ad hæc mirandum est, vt capite superiore dicebamus, si vinum myrrhatum tam præstans & iucundum fuit, eiusdem nullam mentionem factam esse à Dioscoride, Columella, & aliis, qui varia factitij vini genera tradiderunt. Describuntur à Columella omnis generis vina: inter hæc vinum *scillites, absinthites, hyssopites, abrotonites, thymites, marathrites, glycyrrhizes, myrtites*; nec vsquam apparet myrrhites à myrrha, seu *vinum myrrhatum*: licet aliquid myrrhæ ad defrutum, & ad ipsum myrtiten, inter cætera omnis generis aromata, dicat fuisse additum. Hactenus ergò ex ipsa natura myrrhæ demonstratum sit, vinum myrrhatum Christo oblatum non fuisse suaue, & iucundum.

Columell. lib. 12. c. 33. 34. 38.

CAPVT IV.

Vinum myrrhatum non fuisse dulce, ostenditur ex oraculis Prophetarum, & Sibyllarum; & ex sanctis Patribus.

IDEM probatur ex vaticiniis Prophetarum, & Sibyllarum de Passione Domini, *sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.* Est hæc ipsius Redemptoris nostri querimonia, ore Dauidis edita: qui statim subiungit; *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Quomodo nullum consolantem inuenit, si vinum tam præstans, consolationis gratia, Iudæi vel amici obtulerunt? Obtulisse Iudæos vel milites, incredibile est, propter immanissimum erga Saluatorem odium. Obtulisse amicos, longè magis à fide abhorret. *Extraneus*, inquit, *factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Quan-

Psal. 68.

Psal. 21.

Quando? nisi tunc, cum in manibus carnificum versaretur: impletumque est illud Dauidis oraculum: *Quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est, qui adiuuet.* Et illud: *Longè fecisti notos meos à me. Posuerunt me abominationem sibi.* Et: *Elongasti à me amicum, & proximum.*

Psal. 87.

Dicat quis: Vaticinium illud de felle & aceto Redemptori nostro porrectis, nihilominus verum fore, licet dicamus, vinum myrrhatum fuisse præstans & eximium; quia potum dulcem & iucundum ei porrectum fuisse; non arguit, fel & acetum ei non fuisse oblatum.

Respondeo, fieri quidem absolutè potuisse, vt Christo offerretur, seu prima, seu secunda vice vinum gustui gratum & iucundum; neq; hoc impedire, vt illi vinum itidem felle mixtum, seu prima, seu secunda vice oblatum fuerit; alia tamen argumenta obstare, quo minus credamus, vinum iucundum Christo fuisse oblatum; quorum nonnulla iam recensuimus; alia sequentibus capitibus exponemus. Certè cum rem attentius considero, non videtur Spiritus sanctus, tanta cum emphasi, inhumanitatem vel potius crudelitatem Iudæorum nobis ob oculos subiecturus fuisse, si potu tam precioso in passione sua recreatus fuisset? Quid enim? An non conquerenti de felle & aceto, dici poterat; etiam copiam fuisse vini optimi & electissimi, & qui dici potuerit, οἶνος ἄνθιος ὀσδόμενος, vt loquitur apud Athenæum Xenophanes: Cur eo frui noluit? Cur qualecunque hoc solatium repudiauit? Cur de penuria consolantium conquestus est, qui vsque adeo insignem consolationem respuit?

Nec est, quod obiiciatur, vinum quidem myrrhatum fuisse in numero & precio, sed à Iudæis felle & aceto corruptum; nam vt procedente disputatione manifestius euadet, totum hoc vinum myrrhatum pro dulci, amabili, & precioso potu sumptum, fictitium est, non factitium; non ergo à Iudæis odio in Saluatorem nostrum accensis corrumpi potuit.

Cum Prophetarum nostrorum oraculis conueniunt oracula Sibyllarum apud Lactantium:

Lactant. lib. 4. Instit. cap. 18.

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

In escam fel: in sitim, seu potum dederunt acetum: Inhospitalitatis suæ hanc monstrabunt mensam.

Alia Sibylla Iudæam his verbis increpat:

Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασι, ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις
Ἔστεψας στέφανον, φοβερήν τε χολὴν ἐκέρασας.

Tu enim insipiens tuum DEVM *non cognouisti Ludentem humanis sub cogitationibus, sed spinis coronam nexuisti, & fel horrendum miscuisti.* Profectò si præstantissimum fuit vinum myrrhatum, causæ nihil erat, cur Sibylla Iudæis inhospitalitatem tantoperè exprobraret: cùm, vt quidam docti viri putant, non fel & acetum, sed quoddam eximij genus vini bibendum obtulerint.

Nec video, quàm aptè sancti Patres illud Domini apud Prophetam de vinea: *Exspectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Item illud: *Vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ. Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile:* quasi ex persona Christi in crucem qua agendi, qua acti absolutè, & simpliciter, sine vlla exceptione interpretentur: si vinum myrrhatum non fuit felleum & amarum. Neque enim verum est, omnem eorum vuam fuisse vuam fellis, & botrum amarissimum, si vinum myrrhatum tam suaue gustui accidit.

Isaia. cap. 5. Deut. 32.

DEVS vineam ex Ægypto transtulit, ait S. Athanasius, *& plantauit eam, & exspectauit vt ex ea perciperet fructum, vuam & vinum: Illi contrà vecordes; pro vino, acetum; pro vua reddiderunt fel, insignia scelerum Sodomitarum in hoc ipso ostendentes. nam & illorum vua, vua fellis est: vt & in Deuteronomio legimus. Ideo enim Saluator noster, cum sciret istiusmodi fructum ab illis prouenturum, prædixit illis parabolam de vite: & quod ab illis auferendum esset regnum cælorum, & dandum genti facienti fructus eius.* Hæc S. Athanasius. Similia Isidorus: & alter Isidorus Pelusiota, & S. Hieronymus.

Athanas. sermon. de cruce & pass. Dom.

Deut. 32.

Isidor. lib. de Pass. c. 39. Isid. Pelus. epist. 293. S. Hieron. in cap. 27. Matth. Aug lib. 3. de cōsensu Euang. cap. 44. Cyrill. catech. 13.

Denique vinum myrrhatum fuisse amarum, imò amarissimum, tradunt communiter omnes sancti Patres, & scripturæ interpretes. S. Augustinus disertis verbis scribit, *myrrhatum vinum* amarissimum esse.

S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Dixit* IESVS; *Sitio, qui educebat ipsis ex rupe aquas, en petit à vinea, quam plantauit, fructus. Sed quid vinea? quæ secundum naturam quidem erat ex sanctis Patribus; secundum voluntatem autem ex Sodomis. Vinea enim illorum ex Sodomis, & sarmentum illorum ex Gomorrha; sitienti Domino spongia madefacta, & imposita arundini porrigit acetum. Et dederant in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Cernis claritatem prædictionis Propheticæ? Cuiusmodi autem fel dederunt ori eius? Dederunt, inquit, illi vinum myrrha permistum. Myrrha autem, fellis instar, amara est. Hæc Domino reddidistis? Hæc adfert vinea Domino?* Ita S. Cyrillus.

Myrrha propter amaritudinem (est enim quantum medendis infirmitatibus salubris, tantum gustu amara) tristitiam Dominicæ Passionis significat, vbi ipse & myrrhatū vinum à militibus accepit bibendum. Hęc Beda, explicans illud: *Fasciculus myrrhæ. Potatus vino myrrhato, quod est amarius felle,* inquit Rufinus.

Beda in Cant. lib. 2. Rufin. Aquil. in symbol.

S. Hie-

S. Hieronymus, vel quisquis auctor ille est, commentariorum in Marcum, in illa verba: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum*, sic scribit: *Hoc aceto succus lethalis pomi abstergitur.* Ex quibus verbis apparet, auctorem hunc habuisse vinum myrrhatum pro amaro.

S. Hieron. vel al. in Marc.

Hinc etiam amaras illas aquas, inuentas in loco, quem Israël vocauit *Mara*, id est, *amaritudinem*, sancti Patres apta annominatione *myrrham* appellarunt. Ita S. Ambrosius sæpissimè: qui amaritudinem mundi nouato nomine *myrrhaginem* vocat. *Cœnosam myrrhaginem mundi operiant. Ad duodecim ergò fontes post myrrham venit populus Israël.* Eandem *Maram* nominat *fontem myrrheum. Post transitum maris rubri myrrhei fontis amaritudine per ligni gratiam temperata.* S. Paulinus:

Exod. 15.
Ambros. serm. 23. & 24.
Ambros. serm. 16. in Psal. 118.
Paulin. Natal. 8.

Quo myrrham tristem sacri dulcedine ligni
In populi potus Crucis immutantis imago:
Sic Felix pietate potens: quia nobilis alta
Confessor Crucis est, ipsum quasi tristia myrrha
Pocla, hominem mutat.

Alibi:

Id. de Niceta reditu.

Per Sacramentum Crucis vnda miso
Dulcuit ligno, positaq; tristes
Myrrha liquores.

Iulius Firmicus: *Lignum dulcem saporem amara myrrha fontibus reddidit.*

Firmic. de error. prof. relig. cap. 28.

His accedit, quod Latinum *myrrha*, seu *murrha*, natum est ex Hebræo *Mor*, quod ab amaritudine dictum volunt, vt reducatur ad מרר, quod est *amarescere*, seu *amarum esse*: & *mar*, & *mara* Hebræis sunt *amaritudo, amarum*: vt proinde Latina ista *amaritudo*, & *myrrha*, seu *murrha* ab hoc Hebræo fonte descendere videantur: quæ omnia, amaritiem & acerbitatem significant. Similia passim sancti Patres.

Antequam hinc abimus, dicendum est aliquid de versu quodam Tertulliani, si tamen Tertulliani, ex opere aduersus Marcionem ligata oratione conscripto: In cuius lib. 5. hic legitur versus de Christo:

Tertull. lib. 5. adu. Marcion. cap. 8.

Potatur scriblita, & fel miscetur aceto.

Qui versus mendosus videtur. Quis enim nescit, *scriblitam* genus placentæ esse sine melle? quæ, quomodo coquenda sit, docet Cato: quæ à screando, quod feruentissima edi soleret, nomen habet. Plautus:

Cato de re rust. cap. 77. & 78.
Plaut. Pænul.

Nunc, dum scriblitæ æstuant, occurrite.

Martial:

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Vrebat nimio sæua calore manus.

Est, qui propendet in hanc lectionem:

Potatur streblite, & fel miscetur aceto,

Tormenta quidem dicuntur στρέβλαι. Sed hinc fingere *strebliten*, pro potu, qui in tormentis præbebatur reis; nimis audax coniecturâ videri queat: cùm nusquam vnquam exemplum pro hac voce extet. Noua enim omninò, & inaudita vox streblites, præsertim hoc significatu.

Iustus Burdo coniicit legendum: *Potatur scillite.* Et intelligit acetum *scillites.* Non placet. Quis enim credat Tertullianum putasse Christo oblatum acetum medicum? acetum nempe *scilliticum*, cui *bulbi scillarum* ad medicamentum infundi solerent: de quo Columella, Palladius, Plinius, & Ausonius:

Colum. lib. 13. cap. 34. Pallad. lib. 8. c. 8 Plin. lib 32. c. 10. Auson. epist. 4. ad Theonem.

Scillite decies si cor purgeris aceto.

Alij:

Potatur smyrnite, & fel miscetur aceto:

Ita vt potus ille, quem S. Marcus *οἶνον ἐσμυρνισμένον, vinum myrrhatum* vocat; à Tertulliano, vna, eaque propria huius vini appellatione dicatur *σμυρνίτης, smyrnites*, à smyrna, id est, myrrha: Nam non inusitatum fuisse, vt myrrha etiam *smyrnæ* nomine à Latinis appellaretur, patet ex rescripto Marci & Commodi Impp. vbi legimus: *Species pertinentes ad vectigal. &c.* * *Smyrna, amomum.* Audiamus de his omnibus Caluinianum Iunium.

** Smurna. l. vlt. § species. ff. de Public. Iun. in Notis ad Tertull.*

Legendum, inquit,

Potatur smyrnite, & fel miscetur aceto.

Longè aliud scriblita, atq. smyrnites. Nam toto genere differunt, cum illa cibus sit, hic potus. Scriblita enim à screando, non à scribendo dicta, quod feruidissima ederetur, placenta est sine melle, de qua Cato de re rust. cap. 78. Smyrnites verò ὁ σμυρνίτης, potus est βασανιστικός, qui reis ἐν ταῖς στρέβλαις in tormentis præbebatur, amarissimus, vt vires deficientes excitaret. Atq. hæc est propria vini illius appellatio, quod Christo fuit præbitum in mortem profecturo. Id autem periphrasticè ἐσμυρνισμένος οἶνος, vinum myrrhatum appellatur Marci 15. discretionis causa. Nam alioqui murrhina, siue murrhatum vinum Festus vocat nectar: in pretio, & deliciis fuisse, multis demonstrat Plin. lib. 14. cap. 13. Propterea smyrniten, vel smurniten dixit à smurna, id est myrrha (quæ Græcis σμύρνα) vt appellatur l. vlt. §. species. ff. de Public. Propius scripturam esset, si legeretur, strebliten, id est potu, qui in tormentis præbebatur reis. nam tormenta dicuntur στρέβλαι: sed exemplum desidero. Hæc Caluinista ille, qui vera falsis miscet; & falsa veris, vt suis locis planum fiet. Nunc audiamus quosdam ex Sectariis, qui, præter morem suum, nihil hîc nouantes arbitrantur, eundem esse potum, de quo Matthæus & Marcus, vinumque myrrhatum cuius S. Marcus meminit, fuisse amarum. Nos taceamus. Loquantur Prædicantes.

Losſius

Losſius in cap.15. Marci: *Alij* (Euangeliſtæ) *habent acetum felle mixtum. Marcus igitur vinum intelligit corruptum, hoc eſt, acetum; & myrrhatum vocat amarum, ex mixtione ſcilicet fellis, & myrrhæ.*

Brentius, hom.62. in Lucam: *Potant eum aceto cum felle mixto, aut vino myrrhato. Aliis malefactoribus, cùm ad ſupplicia ducuntur, ſolet dari optimus potus; ac veriſimile eſt Iudæos aliâs non diligenter tantùm, verùm etiam ſuperſtitioſè obſeruaſſe in malefactoribus ad mortem damnatũ; eam admonitionem, quæ extat apud Salomonem; Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo. Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ. Ieſu autem Chriſto obtulerunt acetum felle mixtum. Iudicarunt enim ipſum tam abominabilem, vt planè indignus ſit, in quem ea humanitatis officia conferantur, quæ in alios, quantumuis ſceleratos malefactores conferri ſolent.* Prou.31.

Bullingerus in cap.27. Matthæi; *Hic, ne qua pars eſſet corporis (verbis vtor Paraphraſtæ) à cruciatu libera; aut, ne quid omitteretur ludibrij, porrexerunt illi poculum ad bibendum aceto, & felle temperatum: nimirum, vt impleretur, quod ſcriptum eſt in vaticinio: Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Vbi verò guſtaſſet Ieſus, noluit bibere. Adijcit in Annotat. Eraſmus; illud admonendus eſt lector, non videri eundem potum hîc datum Chriſto, qui datur in cruce pendenti. Apparet enim bis datum: ſemel antequam tolleretur in crucem, ex more ni fallor, quod & hodie ſeruatur: rurſus, in cruce pendẽti, & poſcenti. Videtur loqui de eo more, quo hodie precioſiſſimi vini poculum in loco capitali iam conſtitutis, ac iam iam necandis propinamus. Quiritus ex hoc nimirum Sapientis præcepto petitus videtur priſcis: Damnatis date ſiceram, & vinum his, qui amaro ſunt animo, vt poti obliuiſcantur miſeriæ ſuæ, & calamitatis ſuæ non vltra recordentur. Prouerb.31. Domino diuerſum omninò accidit, ne quid videlicet ludibrij, contumeliæ, contemptus, atque crudelitatis omitteretur.* Pſal.21. Prou.31.

S. Marcus dicit; Et dederunt illi bibere myrrhatum vinum: ſed, ille non ſumpſit. Dicitur autem myrrhatum, ſiue myrrhinum, vinum myrrha conditum. Laudatiſſima priſcis fuêre huius ſaporis vina: quorum mentio fit & apud Plautum, & Fabium; qui & murrhinum appellant. Naſcitur myrrha in Arabia, & ſponte ſua deſudat ſtacten odoris ſuauiſſimi.

Quid ergo dicemus ad hunc noſtrum Matthæum, qui dicit Domino propinatum acetum felle temperatum? Certè Marcus poſuit myrrhinum vinum, per antiphraſin, vel catachreſin pro corruptiſſimo, amariſſimoq; vino. Vel, nomen rei poſuit, materiam non intellexit. Solebant enim, quod iam diximus, iis, quos ad extremum ſupplicium trahebant carnifices, potiones propinari nobiliſſimæ. Quò Marcus alludens, ait, Chriſto propinatum myrrhinum vinum, id eſt, vltimam illam potionem. Matthæus autem explicans, cuius generis ea fuerit: Dederunt ei, inquit, *acetum cum felle mixtum. Et hoc videntur ipſi propinaſſe, tanquam iurgatori atque mordaci, ſeu biliosſo prædicatori.*

Vbi vides Zvvingliano Bullingero, adeo intimis medullis insediſſe, Chriſto ante crucifixionem nihil grati & iucundi potus fuiſſe præbitum, vt cum crederet, vinum myrrhatum eſſe eximium & præſtabile, maluerit dicere, à S. Marco vel per catachreſin, vel per antiphraſin potum illum felle mixtum; vini myrrhati nomine affectum; quàm Chriſto ſolatij cauſſa, iucundam gratamque potionem porrectam: quin & hoc ſibi perſuadet, S. Marcum exprimere voluiſſe morem præbendi vinum eximiæ notæ damnatis; tametſi Redemptori noſtro hoc ſolatium non obtigerit.

Buzerus in cap. 27. Matthæi: *Et poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Caluaria, dederunt Domino bibere vinum myrrhatum: id acetum erat cum felle mixtum; ſed ille, cùm guſtaſſet, non ſumpſit.*

Spangenbergius quoque in Poſtilla ſua acetum felle mixtum, & vinum myrrhatum, pro eodem potu accipit: vt & Simon Pauli, in ſuis concionibus, vterque Lutheranus Prædicans.

Robertus Stephanus Caluiniſta in ſua Gloſſa noua Ordinaria ſuper illud Matthæi: *Et dederunt ei acetum. Marcus dicit myrrham additam fuiſſe, quæ valdè amara eſt: vnde myrrhatum vinum vocat. Bis datus eſt iſte amarus potus: hîc, & cùm in cruce penderet expiraturus, infra verſu 48. & Ioan. 19. e. 29. Mos fuit, (vt ex eodem capite, & verſu Ioannis conſtat, dicentis; Vas igitur erat poſitum aceto plenum, &c.) occidendos forti vino potare, vt minus anguſtias mortis ſentirent. At Chriſto pro vino datum fuit acetum felle miſtum, & myrrha. Confectio valdè acerba ad accelerandam mortem.*

His addamus Iacobum Fabrum Stapulenſem in caput 15. Marci: *Quod Matthæus dicit, vinum felle mixtum; hîc Marcus vocat vinum myrrhatum; quod myrrha, quæ præ ſe fert fellis amaritudinem, eſſet infectum. Vnde Matthæus, aut certè qui eum interpretatus eſt, videtur illam myrrhæ amaritudinem χολὴν, id eſt, fel nuncupaſſe.*

Idem in cap. 27. Matthæi: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere. Vndenam exibant, niſi ex Hieruſalem, quæ erat ciuium locus? Egreſſi autem, inuenerunt virum alienigenam, vtpote Afrum, à Cyrenaica regione, è quodam pago venientem, quem coëgerunt portare crucem Ieſu; ex Luca; poſt Ieſum: ſuam enim crucem Dominus ipſe prius portabat. Et venerunt in locũ, vbi flagitioſi crucifigi ſolebant, qui Syriacè Golgoltha, id eſt, Caluariæ locus appellatur, à craniis decollatorum, quæ illic, vt quidam volunt, inſepulta iacebant, non crucifixorum. Mos enim erat Hebræis ex Deut. 21. non relinquere cadauera in ligno, ſed eâdem die ſepelire. Igitur illuc* (ad Caluariam) *perducto Domino porrexerunt ei acetum cum felle mixtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere. Id enim ſatis erat ad impletionem prophetiæ, quæ de eo prædixerat: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Sed & ex Marco vinum amarore myrrhæ infectum obtulerunt ei, ſed noluit accipere.*

Pſal. 68.

CAPVT

CAPVT V.

Refelluntur nonnulla argumenta, quæ pro dulcedine myrrhæ afferuntur.

NE quis putet opinionem, contra quam disputamus, argumentis destitui, en tibi probationes. Primùm negant propugnatores huius sententiæ, *myrrham* esse *myrrham.* Nam myrrham aiũnt esse illud, quod ab Indis *Benzui*, ab aliis verò *beni vinum* appellatur: non illud, quod hactenus ab omnibus pro myrrha habitum est.

Sed, vt omittã illa, quæ infra afferemus, cum *Benzui,* dulce sit; *myrrha,* amara, vt omnium veterum tam Ethnicorum, quàm Christianorum testimoniis compertum est: fieri profectò nequit, vt *Benzui* sit myrrha: nisi quis eodem iure asserere velit, fel veterum, esse mel nostrum. Certè Plinius myrrhã adulterari scribit cucumeris succo amaritudinis causa. Et quia myrrha odoratissima est, amaram quoque oportet esse. *Omnia fermè odorata,* inquit Theophrastus, *amara sunt. Cùm verò illa duo contraria inter se sint, dulce atque amarum; alterum, velut initium grati saporis; alterum, grati odoris esse videtur, & quodammodo magis primordium dixerim amarum grati odoris: quippe odoratum, quin amarum sit, difficile est reperire.* Tribuit & Galenus myrrhæ amaritiem non paucam, sed de hoc fusius alibi.

Plin. li. 12. c. 16.

Theophr. lib. 6. de caus. plant. cap. 13.

Secundò, afferunt Auctores contrariç sententiç locum illum Salomonis: *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Item, illum locum Prophetç Amos, vbi vini damnatis præberi soliti, mentionem facit: *Vinum damnatorum,* inquit Propheta, *bibebant in domo Dei sui.* His adde ipsam Hebræorum consuetudinem. *Scribitur,* inquit Liranus, *in quodam libro Hebraico, qui apud eos inscribitur, liber Iudicum ordinariorũ: quod quia Salomon dixerat; date siceram, hoc est, potum inebriatiuum, mærentibus, ideo ex occasione huius verbi seniores Iudæorum statuerunt, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt facilius tolerarent paßionem.* Quid hæc ad propositum?

Prou. 31.

Amos 2.

Liran. in cap. 27. Matth.

Simile quid refert Porchetus in Victoria contra Iudæos p. 1. cap. 16.

Nam, vt maximè moris fuerit, damnatis dare vinum bonum, & probatum, tamen non ob id sequitur, Christo eiusmodi vinum datum esse, cùm multa alia, præter morem, præterque ius, & fas, cum ea agere non deberent erga Christum egerint, vel cum agere deberent, prætermiserint. Imò locus ille Amos, indicare videtur, vinum damnatis præberi consuetum, ab ipsis carnificibus epotum. Vitio enim illis Propheta vertit, quod damnatorum vinum ipsi ebiberent, non

sine

ſine magnæ inhumanitatis argumento, vt rectè etiam obſeruarunt Liranus & Porchetus: quorum ille: *Iudæi*, inquit, *ex nimia crudelitate tale vinum datum pro Chriſto, & pro aliis duobus ſecum crucifixis, acceperunt ſibi, ſecundum quod dictum eſt Amos cap. 2. Vinum damnatorum bibebant: & loco vini precioſi poſuerunt acetum cum felle miſtum:* ſeu, vt inquit Porchetus, *Vinum myrrha infectum, & amariſſimam potionem per ludibrium, & ſæuitiam obtulerunt.*

Quocirca nihil etiam probatur ex hiſtoria S. Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis, & ſociorum Martyrum, vbi hæc leguntur: *Cùm ad locum ſupplicij ducerentur, multíque fraterna charitate iis offerrent condimentum, vti permiſtum poculum ſumerent, reſpondit: Nondum eſt hora ſoluendi ieiunium.* Licet enim damnatis vinum huiuſmodi offerretur, negamus tamen Chriſto eſſe oblatum: vel tale vinum ſuauiter conditum ad guſtum, fuiſſe *vinum myrrhatum*, de quo S. Marcus. Non tamen inficias imus, vina condita fuiſſe Hebræis nota, & vſitata. Nam & ſponſa in Canticis promittit ſponſo poculum ex *vino condito*, quod interpretatur S. Hieronymus, *vinum vnguentatum*, ſeu *vnguentarij*. Sed aliud eſt, quod apud Iudæos vſu receptum; & aliud, quod Chriſto oblatum fuit.

Cant. 8.

CAPVT VI.

Vinum myrrhatum in Euangelio non habere hanc appellationem à vaſis myrrhinis: & primùm de nomine murrhinorum.

SVNT, qui velint vinum myrrhatum ſic dictum, quod in vaſis myrrhinis *ad ſaporem, odoremq́ quærendum, poneretur calidum: Ea vaſa apud antiquos magno in precio fuiſſe, quòd cùm vinum calidum in ea infunderetur, odorem, ac ſaporem quendam mirificum ex illis contraheret. Ex quo præ ceteris gratiſſimum, ſuauiſſimumq́ ad potum redderetur.* Hęc iſti. Quæ accuratius examinanda ſunt, vt appareat, quid probabilitatis habeant: &, num verum ſit, Chriſto in mõte Caluariæ huiuſmodi vinum præbitum; quod fiet, ſi explicemus primò, nomen *myrrhinorum* ſeu *murrhinorum*. Secundò, materiam. Tertiò, vſum & precium.

Quod ad ipſum nomen attinet, vt à *cryſtallo, cryſtallinum*; ab *onyche, onychinum*: ita à *murrha*, ſeu *myrrha* deriuatur *murrhinum*, ſeu *myrrhinum*, quod & *myrrheũ*. Græci ſcriptores μόῤῥαν, ſeu μύῤῥαν appellant. Sic enim ipſa vaſa myrrhina vocant μύῤῥινα vel μύῤῥινα, vt Arrianus, vel μόῤῥια, vt Pauſanias; oportet, vt & ipſum primigenium nominarint μύῤῥαν & μόῤῥαν, ea conſuetudine, qua crebrò ſolent Græci *u* Latinum exprimere

Arrian. in Epict. li. 3. ſerm. 9. & in nauigat. mar. rubri.
Pauſan. in Arcad.

primere per suum υ vel ὀμικρόν. Quis enim nescit illa, γεμίτωρ, γεμίτωρ, *Numitor*: ποπλικόλας, *publicola*: *syracusius*, *syracosius*, & centena talia. Cumque olim υ ψιλὸν pronunciatum fuerit, vt *u* Latinum, nil mirum est, si Latini vocabulum *murrha* scripserunt per υ ψιλὸν, dicentes; *myrrha* & *murrha*; *myrrhina* & *murrhina*; cum vna & eadem vtriusque scripturæ olim esset pronuntiatio, non diuersa: vt hodie, licet apud veteres Græcos nomen hoc non inuenerim scriptum per υ ψιλὸν, (nam frustra est, qui non intelligens apud Pausaniam, quid sibi vox μόῤῥια vellet, mutare illam tentauit in μύῤῥια) sed tantùm apud posteriores Græcos Iuris Ciuilis interpretes, qui vasa à Latinis Iurecoss. *murrhina* vel *myrrhina* nominata, *Myrina* appellant: nõ quidem malè, quod per υ ψιλὸν; malè autem quod ρ simplici. Aliud est enim murrhinum, de quo Iurisperiti Latini loquuntur; aliud, *myrinum*; nisi fortè error hic non est tribuendus ipsis interpretibus, qui Latinas leges in Græcam linguam transtulerunt: sed ei, qui libros Basilicorum, vel potius Basilicorum Eclogen edidit.

Ioachim. Cam. Vide Annotat. Sylb. in Pausan.

Io. Leunclau. Basil. 1575.

Est autem *murrha* seu *myrrha*, de qua nobis sermo, non illa planta, quæ Græcis σμύρνα, sed gemma, seu lapis preciosus. Nam si, vt paulò pòst perspicuè demonstrabimus, vasa murrhina fuerunt gemmea, vel lapidea: necesse est, ipsam quoque murrham, vel myrrham fuisse gemmam, aut lapidem. Porrò vt scriptores *crystallum*, *gemmam*, *aurum*, *argentum*, vsurpant pro poculis *crystallinis*, *gemmeis*, *aureis*, *argenteis*; ita & *murrham* pro *murrhinis*, & pocula murrhæ pro poculis *murrheis*. Statius de coma Earini:

Martial. li. 10. Senec. lib. 7. de benef. Virgil. 1. Aen. Stat. lib. 3. Sylu.

> ———— *hic pocula magno*
> *Prima duci, myrrhasq; graues, crystallaq; portat,*
> *Candidiore manu: crescit noua gratia Baccho.*

Martialis:

Martial. lib. 14.

> *Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno*
> *Conuenit, & melior fit sapor inde mero.*

Idem:

Mart. lib. 10.

> *Plorat Eros, quoties maculosa pocula myrrhæ*
> *Inspicit.*

Idem:

Mart. lib. 4.

> *Nos bibimus vitro: tu myrrha, Pontice: quare?*
> *Prodat perspicuus ne duo vina calix.*

Lucanus:

Lucan. lib. 4.

> *Non auro, myrrhaq; bibunt, sed gurgite puro*
> *Vita redit.*

Hæc de nomine.

CAPVT VII.

Ex qua materia fuerint vaſa murrhina.

AD materiam venio: de qua quinque opiniones inuenio: quarum ſolam primam arbitror veram.

Ea eſt: vaſa murrhina fuiſſe lapidea. Quæ ſententia plurimis, iiſque grauiſsimis argumentis confirmari poteſt. Primò, auctoritate veterum: qui vaſa *murrhina* quotidie in aulis Principum, procerumque ædibus videbant & tractabant. Primus ſit Plinius, qui lib. 37. natural. hiſtor. quem totum gemmis deſtinauit; cum gemmarum explicatione coniungit tractationem *murrhinorum*, aut vt gemmarum, aut certè vt lapidum. Nam *cryſtallum*, & *murrham* eodem loco habet: quamuis cauſæ & ortus diuerſi: *Putant*, inquit, *humorem ſub terra calore denſari: qui in lapidem concretus deinde eruatur, & in vaſa caletur.* Cum Plinio conſentit Iſidorus.

Plin. lib. 37. natural. hiſt.

Iſidor. lib. 16. Etym. cap. 12.

Pauſan in Arcad.

Eiuſdem ſententiæ eſt Pauſanias, cuius hæc ſunt in Arcadicis verba, vbi de aqua Stygia agit, eiuſque miracula exponit: χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐγνώσθη καὶ εἴ δή τι ἄλλο περισσὸν τῷ ὕδατι τῷ ἐς θαῦμα ἡκόντων, ἄλλως μέν γε καὶ κρύσταλλος, καὶ μόῤῥια, καὶ ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις λίθου ποιούμενα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεράμεα, τὰ μὲν ὑπὸ τῆς Στυγὸς τοῦ ὕδατος ῥήγνυται, κεράτινα δὲ, καὶ ὀστέϊνα, σίδηρος, καὶ χαλκὸς, ἔτι δὲ μόλιβδος, καὶ κασσίτερος, καὶ ἄργυρος, καὶ τὸ ἤλεκτρον ὑπὸ τούτου σήπεται τοῦ ὕδατος. *Succeſſu temporis cognitum quoque eſt, ſi quid aliud miraculi ſimile aqua illa habuit, Nam & cryſtallus, & murrhina, & alia ex lapide ab hominibus facta, & vaſa fictilia à Stygis aqua franguntur: cornea inſuper, & oſſea, ferrum & æs, adhac plumbum & ſtannum, & argentum, & electrum, ab hac aqua corrumpuntur.* Vbi vides Pauſaniam æquè in lapideis numerare *murrhina*, ac *cryſtallina*: & *murrhina* à fictilibus diſtinguere.

Arrian. in Periplo.

Eidem ſententiæ ſuffragatur Arrianus, qui bis μοῤῥίνην, ſeu μοῤῥίνην λιθίαν, *lapidem murrhinum* appellat. Imò vt onyx, ſiue onychites Arriano lapis eſt, ita & murrha. ὀνυχίνη λιθία, inquit, καὶ μοῤῥίνη. *Onychinus lapis, & murrhinus.*

Senec. lib. 7. de benef. cap. 9.

Accedat & Seneca: *Video*, inquit, *murrhina pocula: parum ſcilicet luxuria magna fuerat, niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent.*

Sidon. carm. 11.

Sidonius Apollinaris in Epithalamio Ruricij, & Iberiæ, inter lapides precioſos numerat murrhinam:

> *Poſtes chryſolithi fuluus * diſtinxerat ardor;*
> *Myrrhina, ſardonices, amethyſtus, iberus, iaſpis,*
> *Indus, chalcidicus, ſcythicus, berillus, achates*
> *Attollunt duplices argenti cardine valuas,*

* *diffulgurat.*

Deinde

Deinde Philosophi, Iurisperiti, Historici, Poëtæ, crystallina, & murrhina vasa passim coniungunt. Vt igitur illa pro lapideis habuerunt, ita & hæc. Facit hoc ex Philosophis Seneca, Epictetus Arriani, vel si mauis, Arrianus Epicteti. Item Plinius. Ex Iurisperitis Paulus. Ex Historicis Pausanias, Iulius Capitolinus, Eutropius, & Victor. Ex Poëtis, Statius, Martialis, Iuuenalis. Quid quod & à pondere murrhinorum argumentum non infirmum ducere possumus, fuisse lapidea. Nam Statius vocat *murrhas graues*. Iuuenalis, *murrhina maxima*.

Adhæc Iurisperiti veteres vasa murrhina habuerunt pro lapideis, quod patet tum ex hoc, quod vasa murrhina cum crystallinis coniungunt, vt diximus: tum, quod magna contentione disputant, vtrum in gemmis numerari debeant. Et licet Cassius responderit, *murrhina vasa in gemmis non esse*, vt refert Vlpianus, non tamen illa à lapidibus, vel ipse, vel alius exclusit, vt planum erit legenti Vlpiani locum. Exclusit autem Cassius à gemmis vasa murrhina: quia Iurecoss. gemmas, à lapillis eò distinguebant, *quòd gemmæ essent perlucidæ materia, velut smaragdi, chrysolithi, amethysti: lapilli verò contrariæ superioribus natura, vt Obsidiani, Veientani.* Ob quod discrimen Vlpianus quoque bis in eâdem lege lapillos à gemmis seiunxit.

Cùm igitur ea vasa murrhina summo in honore essent, quæ, vt dicit Plinius, nihil translucerent (*translucere siquidem quidquam, aut pallere vitium est*, ait Plinius agens de murrhinis) inde factum est, vt quidam Iurisperiti murrhina gemmis non accensuerint, atque adeò, legatis gemmis, putarint, non legari murrhina; quæ potius in lapidibus preciosis, quàm in gemmis numerabant.

Denique eandem sententiam sequuntur ex recentioribus Beroaldus in Suetonium, Perottus in Martialem, Glareanus in Eutropium, Georgius Merula, qui & addit; myrrhina esse illam gemmam, quam hodie vulgò *agatham*; veteres *achaten* vocant: in quo tamen non parum errat, quod demonstrare nullius esset negotij; si id institutum nostrum aut exigeret, aut permitteret. Conferat lector notas achatis, quas ei in libro de lapidibus tribuit Orpheus cum notis murrhinorum apud Plinium, clareque intelliget, Achaten & murrham toto cœlo distingui.

Dices: *Antachates, quando vritur, odorem myrrhæ halat: Videntur igitur murrhina ex Antachate confecta fuisse: & ab odore dicta myrrhina, seu murrhina.* Sed hoc nihil est. Nam Plinius Achaten, & species eius vbique à murrhinis distinguit, & ea scribit, quæ in eandem rem conuenire nequeunt. Inter cætera etiam hoc: *Athates in magna fuit auctoritate: nunc, in*

Sen. epist. 119. Arrian. lib. 3. serm. 9. Plin. lib. 33. in proœm. & lib. 37. c. 2. Paulus L. supellectilis ff. de supellectil. legata. Capitolin. Vita Veri, & Marci. Eutrop. lib. 8. Aurel. Victor. epit. de M. Antonino. Stat. lib. 3. Syl. Mar. lib. 3. & 9. Iuuen Sat. 6. L. cum aurum ff. de auro, & argento.

Alij legunt Obsiani, Venientani.

L. argumento, ff. de auro, argento.

Plin. lib. 37. c. 2.

Plin. li. 37. c. 10.

nulla est. At Plinij ætate erant murrhina summo in honore & precio. Credibile profectò est, Plinium melius sciuisse, quid murrhina essent; quippe qui ea quotidie oculis vsurparet: quàm Merulam post tot secula: aut etiam Nebrissensem. Nam & hunc in hac opinione versatum aiunt. Nec odor incensi *antachatæ* quidquam efficit. Nam aromatites myrrhæ colorem, & odorem habebat, teste Plinio: an propterea murrhina nihil aliud erant, quàm aromatites? Imò myrrhites myrrhæ & nomen, & colorem habet: an ideo murrhina, seu myrrhina erant myrrhitæ? Fallitur, quisquis odorem murrhinorum, vel saporem putat fuisse similem odori vel sapori myrrhæ plantæ, vel potius lachrymæ eius: Id enim à nemine veterum traditum est. Et quidquid sit de odore myrrhæ, qui sine dubiò est gratissimus, sapor tamen non potuit esse gratus, cum myrrha sit amarissima: at, sapor, quem contrahebat potus ex vasis murrhinis, gratus, & acceptus erat: vt ex testimonio Martialis patet.

Habemus ergo multos, & grauissimos auctores, qui asserant murrham vel gemmam, vel lapidem, vasaque murrhina vel gemmea, vel lapidea esse. Neque enim qui gemmam esse dicunt, dissentiunt ab illis, qui aiunt esse lapidem. Licet enim non omnis lapis sit gemma, nec omne lapideum gemmeum, attamen omnis gemma est lapis, & omne gemmeum, lapideum communi Philosophorum decreto: quidquid recentiores nonnulli contrà argutentur.

Scalig. exerc. 198.

CAPVT VIII.

Murrhina non esse porcellanas.

Cardan. lib de subtil. Scalig. exerc. 92.

SECVNDA opinio est Cardani, & Scaligeri, qui putant vasa murrhina ea fuisse, quæ hodie *porcellanæ* dicuntur: quæ hoc modo confici Scaliger tradit: *Ouorum putamina, & marinorum conchas vmbilicorum (porcellanæ species horum sunt, vnde & nomen) in tenuissimum redigunt pollinem, quem aqua subactum, vasorum specie informant, subtusq; terram condunt: Centesimo anno pro perfecto effodiunt, ac venale opus habent: quod eorum vitæ superest, hæredi testamento transcribunt. Quotannis conficiunt, atque infodiunt, referuntq; tempora in commentarios, ex quibus eruunt matura. Ex prouincia China optima aduehuntur. Alÿ putant non vasa, sed materia condi massam, qua extracta, conflant vasa.*

Hæc sententia refelli potest cùm aliis multis argumentis, tum hoc potissimum, quod notæ *murrhinorum* à Plinio descriptæ, non inueniuntur in porcellanis; vt ipsis oculis manifestum est. Non possunt igitur porcellanæ esse antiquorum murrhina. Quid enim? An credi-

credibile est Plinium ex auditu descripsisse murrhina, & non potius ex quotidiano aspectu, cum eius æuo admodum vsitata essent?

His autem coloribus depingit Plinius murrhina: *Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in plurimis locis, nec insignibus, maximè Parthici regni; præcipuè tamen à Carmania. Humorem putant sub terra calore densari: amplitudine nusquam paruos excedunt abacos: crassitudine rara, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorq; verius, quàm splendor: sed in precio varietas colorum subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremq; & tertium ex vtroq; ignescentem, velut per transitum coloris purpurascente, aut lacte candescente. Sunt qui maximè in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent, translucere, aut pallere vitium est. Item sales, verrucæq; non eminentes, sed vt in corpore plerumq; etiam sessiles: aliqua & in odore commendatio est.*

Plin. lib. 37. c. 2.

Ex qua Plinij descriptione liquet, cur Martialis vocauerit *murrham maculosam*, & *murrhina picta*:

Mart. lib. 10. & 13.

Plorat Eros quoties maculosæ pocula murrhæ inspicit.
Surrentina bibis, nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Deinde omnes probationes prioris sententiæ, sunt confutationes huius posterioris. Quis enim ambigat, veteres melius nouisse, quænam sint murrhina, quàm istos post tot non annos, sed secula; vt taceam istos ægrè effugere posse, quo minus concedant murrhina fuisse fictilia. At, non fuisse fictilia, constat ex iis, quæ pro sententia Plinij adduximus, & adhuc manifestius fiet, cum quartam opinionem refellemus. In Busbequij Epistola Turcica tertia legimus: *Missis ingentibus octo dulciariorum murrhinis patinis.* Sed hæ *Porcellanæ* fuerunt haud dubiè, quarum creber in dulciariis vsus, cum in Oriente præsertim, tum apud nos etiam, inquit amplissimus Dominus *Marcus Velserus.*

CAPVT IX.

Murrhina neque ex murice, neque fictilia fuisse.

TERTIAE opinionis Auctor est Bellonius, qui arbitratur, murrhina fuisse confecta ex aliquo concharum genere: *à murice enim murrhina dicta esse.* Sed tenuius est hoc ex nominis similitudine exstructum fundamentum, quàm vt pondus tot auctoritatum, quas pro prima sententia attulimus, sustinere valeat: quibus hoc vnicum argumentum addo: si murrhina à *murice* nomen habent, tunc vel Latinis murrha significabit muricem, quod hactenus inauditum fuit: vel certè Statius, Lucanus, Martialis,

Bellon. lib. 2. obseru. cap. 7.

& alij, malè murrham pro murrhinis vſurparunt: cùm murrhina non à murrha, ſed à murice nomen habeant, ſi Bellonius non fallitur.

Quarta opinio eſt illorum, qui contendunt, murrhina fuiſſe fictilia, fidemque huic ſuæ ſententiæ conciliare nituntur teſtimoniis Propertij & Arriani: quorum ille ita canit:

Propert. lib. 4 eleg. 6.

Murrheaq; in Parthis pocula cocta focis.

Arrianus in Periplo.

Hic verò tradit, murrhina vaſa Dioſpoli fieri.

Sed hæc tanti non ſunt, vt propterea primam illam tot rationibus firmatam opinionem deſerere debeamus. Quia fortè Propertius non diſſentit à Plinio & aliis. Fortè enim ingenioſè, & rectè Poëtarum more, per focos Parthorum intellexit illos terreos aggeſtus Plinij, ſub quibus *in pluribus locis Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania*, vt inquit Plinius, gleba, cauandis arte murrhinis, fingitur, calore denſante, & efformante non aliter, ac fictilia coquuntur in ſuo foco. Et foci nomine eò ingenioſius terram, ſub qua ait Plinius *humorem calore denſari*, intellexit; quo verius eſt, terram, quæ & Veſta dicitur, ἀπὸ τῆς ἑστίας, id eſt, *à foco* ἑστίαν appellari. Quomodo autem *foci* nomen conueniat terræ, quæ ſinu ſuo omnia confouet, eleganter innuit Ouidius:

Ouid. 6. faſt.

At focus à flammis, & quod fouet omnia dictus.

Cic. 2. de legib.

Cicero: *Eſt enim Veſta quaſi focus orbis appellata.* Licet non deſint, qui alias notationes comminiſcuntur, eaſque in diuerſa trahant, qualis eſt illa Ouidij:

Ouid. 6. faſt.

Stat vi terra ſua; vi ſtando Veſta vocatur.

Fortè etiam Propertius verſum illum ſcripſit reſpiciendo non ad vera & germana murrhina, ſed ad ſuppoſititia, & ad imitationem genuinorum facta: qualia probabile eſt veteres itidem habuiſſe; cum nunc quoque duplicis generis *Porcellanæ* reperiantur: alteræ veræ; alteræ ad ſimilitudinem legitimarum efficta in inſulis Maioricis, quæ & à Balearibus *Maiolica* appellantur.

Vide Scalig. exerc. 92.
Plin. lib. 36. c. 26.

Quid, quod Plinius diſertè tradit, *obſidianum* factum eſſe ab arte non modò album, ſed & murrhinum, hoc eſt, ad murrhinorum imitationem, quod attinet ad figuram & colorem. Quod non tantum in his, ſed etiam in multis aliis vſuuenit, vt docet Theophraſtus, nominatim, cùm agit de cinnabari, vbi naturale, & artificiale ſtatuit, & poſtea ſubdit: μιμεῖται τὴν φύσιν τέχνη, τὰ δ' ἴδια ποιεῖ, καὶ τούτων τὰ μὲν φύσεως χάριν, τὰ δὲ μόνον φαντασίας. *Imitatur naturam ars, propriaq; facit: & horum quidem alia, cauſa naturæ, alia verò ſolùm animi gratia.* Sic ars ſmaragdos imitatur, teſte Seneca: *Excidit porrò nobis, eundem Democritum inueniſſe, quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in ſmaragdum conuer-*

Theophr. lib. de lapidibus.

Sen. lib. 14. epiſt. 91.

conuerteretur: qua hodieq́ cottura inuenti lapides coctiles colorantur. De adulterinis,& fictitiis gemmis,passim Plinius multa: ita vt tandem concludat: *Neq́ est vlla fraus vita lucrosior.*

Plin.lib.37. cap.12.

His fortasse addi potest,in focis Parthici regni, vbi maximè inueniebantur murrhina,vt testatur Plinius,lapidem illum,postquam effossus erat,fuisse excoctum,& expurgatum, eo modo,quo aurum, & argentum, & alia metalla, imò & gemmæ partim igne, partim aliis rationibus purgari, & excoqui solent. De margaritis Ephræm: *Si arte non expolirentur, non liceret inter eas inuenire preciosam.* Hæc de Propertio.

Ephram de margarita preciosa.

Minus hanc opinionem iuuat Arrianus, quem murrhina pro lapideis habuisse, iam supra significauimus, & hîc fusius ostendendum est. Ille enim non longè ab initio huius libri, quo nauigationem suam per mare rubrum descripsit, cum recenseret, quænam merces deportentur in illam regionem, quæ à Moschophagis vsque ad aliam barbariam extendebatur; commemorat præter cætera, λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ἄλλης (λιθίας) μοῤῥίνης: *Lapidis pellucidi plura genera, & alterius murrhini.* Iste enim sensus est huius loci. Nam λιθία Arriano lapis est, vt ex tribus, vel quatuor locis aliis infra apud eundem constat, vt cum de quodam emporio ait: φέρεται εἰς αὐτὸ καὶ λιθία διαφανὴς παντοία, καὶ ἀδάμας. *Importatur in illud & lapis pellucidus omnis generis, & adamas.* Legendum autem esse ὑαλῆς, non ὕλης, vt perperam habet antiqua editio, inde primò planum fit, quod aliôqui verbis illis nullus subsit sensus. Deinde, quia paulò pòst de exigua quadam ciuitate agens dicit: προχωρεῖ εἰς αὐτὴν ὑαλῆ λιθία: *Fertur in illam lapis pellucidus.*

Edit.Basileens. 1533.

Secundò idem Arrianus murrhinum pro lapideo æquè habuit, ac onychinum. In *Barygazam*, inquit Arrianus, *defertur* ὀνυχίνη λιθία, καὶ μοῤῥίνη. *Lapis onychinus, & murrhinus.* Sicut igitur onyx seu onychites lapis est; & onychinum,lapideum; ita & murrha lapis est,& murrhinum lapideum.

Nec ex illis verbis Arriani (λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ἄλλης μοῤῥίνης τῆς γινομένης ἐν διοσπόλει. *Lapidis pellucidi, & alterius murrhini, qui fit in Diospoli*) conuincitur, fuisse murrhina fictilia. Non enim significant arte fieri in Diospoli lapidem murrhinum, sed nasci: sicut cum infra idem Arrianus dicit: In Taprobana γίνεσθαι λιθίας διαφανῆς, σινδόνας, καὶ χελώνας, clarum est,illud γίνεσθαι,ad quodlibet ex dictis apposite accommodandum esse, vt sindones fiant ab arte, testudines, & lapides pellucidi à natura. Alibi de insula quadam; γίνεται,inquit,ἐν αὐτῇ

καὶ

& alij, malè murrham pro murrhinis vſurparunt: cùm murrhina non à murrha, ſed à murice nomen habeant, ſi Bellonius non fallitur.

Quarta opinio eſt illorum, qui contendunt, murrhina fuiſſe fictilia, fidemque huic ſuæ ſententiæ conciliare nituntur teſtimoniis Propertij & Arriani: quorum ille ita canit:

Propert. lib. 4. eleg. 6.

Murrheaq; in Parthis pocula cocta focis.

Arrianus in Peripl.

Hic verò tradit, murrhina vaſa Dioſpoli fieri.

Sed hæc tanti non ſunt, vt propterea primam illam tot rationibus firmatam opinionem deſerere debeamus. Quia fortè Propertius non diſſentit à Plinio & aliis. Fortè enim ingenioſè, & rectè Poëtarum more, per focos Parthorum intellexit illos terreos aggeſtus Plinij, ſub quibus *in pluribus locis Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania*, vt inquit Plinius, gleba, cauandis arte murrhinis, fingitur, calore denſante, & efformante non aliter, ac fictilia coquuntur in ſuo foco. Et foci nomine eò ingenioſius terram, ſub qua ait Plinius *humorem calore denſari*, intellexit; quo verius eſt, terram, quæ & Veſta dicitur, *ἀπὸ τῆς ἑστίας*, id eſt, *à foco ἑστίαν* appellari. Quomodo autem *foci* nomen conueniat terræ, quæ ſinu ſuo omnia confouet, eleganter innuit Ouidius:

Ouid. 6. faſt.

At focus à flammis, & quod fouet omnia dictus:

Cic. 2. de legib.

Cicero: *Eſt enim Veſta quaſi focus orbis appellata.* Licet non deſint, qui alias notationes comminiſcuntur, eaſque in diuerſa trahant, qualis eſt illa Ouidij:

Ouid. 6. faſt.

Stat vi terra ſua; vi ſtando Veſta vocatur.

Fortè etiam Propertius verſum illum ſcripſit reſpiciendo non ad vera & germana murrhina, ſed ad ſuppoſititia, & ad imitationem genuinorum facta: qualia probabile eſt veteres itidem habuiſſe; cum nunc quoque duplicis generis *Porcellana* reperiantur: alteræ veræ; alteræ ad ſimilitudinem legitimarum efficta in inſulis Maioricis, quæ & à Balearibus *Maiolica* appellantur.

Vide Scalig. exerc. 92.

Plin. lib. 36. c. 26.

Quid, quod Plinius diſertè tradit, *obſidianum* factum eſſe ab arte non modò album, ſed & murrhinum, hoc eſt, ad murrhinorum imitationem, quod attinet ad figuram & colorem. Quod non tantum in his, ſed etiam in multis aliis vſuuenit, vt docet Theophraſtus, nominatim, cùm agit de cinnabari, vbi naturale, & artificiale ſtatuit, & poſtea ſubdit: *μιμεῖται τὴν φύσιν τέχνη, τὰ δ' ἴδια ποιεῖ, καὶ τούτων τὰ μὲν φύσεως χάριν, τὰ δὲ μόνον φαντασίας. Imitatur naturam ars, propriaq; facit: & horum quidem alia, cauſa naturæ, alia verò ſolùm animi gratia.* Sic ars ſmaragdos imitatur, teſte Seneca: *Excidit porrò nobis, eundem Democritum inueniſſe, quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in ſmaragdum conuer-*

Theophr. lib. de lapidibus.

Sen. lib. 14. epiſt. 91.

conuerteretur: qua hodieq; coctura inuenti lapides coctiles colorantur. De adulterinis, & fictitiis gemmis, passim Plinius multa: ita vt tandem concludat: *Neq; est vlla fraus vitæ lucrosior.*

Plin. lib. 37. cap. 12.

His fortasse addi potest, in focis Parthici regni, vbi maximè inueniebantur murrhina, vt testatur Plinius, lapidem illum, postquam effossus erat, fuisse excoctum, & expurgatum, eo modo, quo aurum, & argentum, & alia metalla, imò & gemmæ partim igne, partim aliis rationibus purgari, & excoqui solent. De margaritis Ephræm: *Si arte non expolirentur, non liceret inter eas inuenire preciosam.* Hæc de Propertio.

Ephram de margarita preciosa.

Minus hanc opinionem iuuat Arrianus, quem murrhina pro lapideis habuisse, iam supra significauimus, & hîc fusius ostendendum est. Ille enim non longè ab initio huius libri, quo nauigationem suam per mare rubrum descripsit, cum recenseret, quænam merces deportentur in illam regionem, quæ à Moschophagis vsque ad aliam barbariam extendebatur; commemorat præter cætera, λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ἄλλης (λιθίας) μοῤῥίνης: *Lapidis pellucidi plura genera, & alterius murrhini.* Iste enim sensus est huius loci. Nam λιθία Arriano lapis est, vt ex tribus, vel quatuor locis aliis infra apud eundem constat, vt cum de quodam emporio ait: φέρεται εἰς αὐτὸ καὶ λιθία διαφανὴς παντοία, καὶ ἀδάμας. *Importatur in illud & lapis pellucidus omnis generis, & adamas.* Legendum autem esse ὑαλῆς, non ὕλης, vt perperam habet antiqua editio, inde primò planum fit, quod aliôqui verbis illis nullus subsit sensus. Deinde, quia paulò pòst de exigua quadam ciuitate agens dicit: προχωρεῖ εἰς αὐτὴν ὑαλῆ λιθία: *Fertur in illam lapis pellucidus.*

Edit. Basileens. 1533.

Secundò idem Arrianus murrhinum pro lapideo æquè habuit, ac onychinum. In *Barygazam*, inquit Arrianus, *defertur* ὀνυχίνη λιθία, καὶ μοῤῥίνη. *Lapis onychinus, & murrhinus.* Sicut igitur onyx seu onychites lapis est; & onychinum, lapideum; ita & murrha lapis est, & murrhinum lapideum.

Nec ex illis verbis Arriani (λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη, καὶ ἄλλης μοῤῥίνης τῆς γενομένης ἐν Διοσπόλει. *Lapidis pellucidi, & alterius murrhini, qui fit in Diospoli*) conuincitur, fuisse murrhina fictilia. Non enim significant arte fieri in Diospoli lapidem murrhinum, sed nasci: sicut cum infra idem Arrianus dicit: In Taprobana γίνεσθαι λιθίας διαφανεῖς, σινδόνας, καὶ χελώνας, clarum est, illud γίνεσθαι, ad quodlibet ex dictis appositè accommodandum esse, vt sindones fiant ab arte, testudines, & lapides pellucidi à natura. Alibi de insula quadam; γίνεται, inquit, ἐν αὐτῇ

καὶ

καὶ κιννάβαρι, *fit in ipsa & cinnabarum*, fit scilicet nascendo. Alibi: λιβανωτὸς πλεῖστος γίνεται; *plurimum thuris istic nascitur.* Sic etiam nascendo fiebat circa Diospolim lapis murrhinus, vt & alij preciosi, varij generis, & inter cæteros alabastrites, vt testatur Theophrastus: Καὶ ὡς ὁ περὶ αἴγυπτον ἐν Θήβαις ἀλαβαστρίτης: *vt alabastrites Thebis in Ægypto.* Nam Diospolis olim *Theba* appellabatur. Romani quoque ex Thebaide lapides raros, & preciosos Romam vsque vehebant, vt constat tum ex aliis, tum ex Aelio Lampridio.

Vide Plin. lib. 37. Theophr. lib. de lap. Steph. de Vrb. Lamprid. Heliogab.

Accedit quod fortasse Diospoli lapis murrhinus antè fuit præparatus in vasa escaria, & potoria eo modo, quo alibi ex gemmis & lapidibus huiusmodi vasa ab arte conficiebantur. Et hæc videtur planissima & commodissima verbi γίγνεσθαι expositio.

Fortè etiam murrhinus lapis Diospoli fuit expolitus, vt alij lapides variis modis poliri solebant, sicut præter cæteros docet Theophrastus, cùm de smaragdo ità scribit: ἔστι δέ τις αὐτῆς ἐργασία πρὸς τὸ λαμπρὸν, ἀρχῇ γὰρ οὐκ ἔστι λαμπρά. *Est ars quadam reddendi splendidum smaragdum. initio enim non splendet.* Inferiùs de Lyncurio: γίνεται δὲ καὶ κατεργασία τις αὐτοῦ πλείων. *Solet etiam magis elaborari.* Nemo autem dicit smaragdum, vel similes lapides ob id fuisse fictiles. Ergò neque murrhina propterea censenda sunt fictilia; quod ab arte vel vltimum complementum, vel formam aliquam artificialem vasis escarij, aut potorij acceperunt.

Theoph. de lap.

Potest etiam opinio hæc refutari ex veterum Iurisconsultorum sententia hoc argumento: Fictilia vasa extra controuersiam numerabantur in supellectile; &, supellectile legata, censebantur etiam fictilia vasa legata, vt habetur L. *supellectili D. de supell. legat.* Vbi ait Iurisperitus: *Vitrea, escaria, & potoria in supellectile sunt, sicut fictilia: nec solùm vulgaria, sed quæ in magno precio sunt.* At ibidem dicit Iurisperitus, dubitari posse; vtrum crystallina, & murrhina sint numeranda in supellectile propter precium. Sed dubitatio hæc non habuisset hîc locum, si murrhina fuissent fictilia. quia fictilia etiam magni precij censentur in supellectili, vt antea dixerat Iurisconsultus. Ergò ex sententia istorum, qui sine omni dubitatione viderunt, & manibus tractarunt murrhina, affirmari nequit, murrhina esse fictilia, vt taceam Plinium, & Pausaniam, qui murrhina à fictilibus apertè distinguunt. De Pausania liquet ex verbis, quæ iam supra dedi. De Plinio fidem facit locus ille, vbi conqueritur, eò progressam luxuriam, vt fictilia pluris æstimentur & constent, quàm murrhina.

Vitel-

Vitellius in principatu suo, inquit Plinius, *ducentis sestertiis condidit patinam, cui facienda fornax in campis exædificata erat, quoniam eò peruenit luxuria, vt etiam fictilia pluris constent, quàm murrhina.* Ibidemque, cùm veterum parsimoniam, & frugalitatem nusquam nisi in templis remansisse dixisset, addidit: *In sacris quidem, etiam inter has opes, hodie non murrhinis, crystallinisue, sed fictilibus prolibatur simpuniis.* Ita Plinius. Cui quis non potius, vtpote Philosopho, & veritatis indagatori acerrimo credendum existimet, quàm Propertio Poëtæ: cui non tam curæ est veritas; quique in postremis ducit, sicubi à veritate aberret, cum veritatis studium minimè profiteatur. Quod dictum sit, posito, non tamen concesso, Propertium à Plinio dissentire. Quomodo enim cum Plinio, & aliis Propertius conueniat, satis iam supra demonstratum arbitror.

Plin. lib. 35. cap. 12.

Sed videndum est, quænam in specie argumenta proferat Mercatus, vt murrhina fuisse fictilia nobis persuadeat. I. *Nulla iaspidis, vel achatis, vel onychis, vel alterius gemmæ variegatæ species exsistit, siue ea antiqua est à Romanis quondam possessa, & hactenus intra limites Europæ conseruata, siue recens à meridie, atq; Oriente nobis aduecta, cui temperamentum substantiæ & coloris peculiariter competat, quod myrrhinis Plinius attribuit.*

Mercat. lib. de fossilibus.

Respondeo primò, Mercatum hoc argumento, si quid efficit, etiam suum *Benzui*, seu *Beniuinum* euertere. Accipiat, qui volet, *Benzui*, & conferat cum myrrhinorum notis à Plinio recensitis: Videbit, opinor perspicuè notas illas in *Beniuino* non elucere.

Secundò; nullius momenti est hæc consequutio: *Notæ myrrhinorum allatæ à Plinio non apparent in aliqua gemma, ergò murrhina fuerunt fictilia*: quia potuerunt esse lapidea, licet non essent gemmea. Licet enim omnis gemma sit lapis, vt ex communi Philosophorum sententia, iam supra cap. 7. asseruimus; non tamen omnis lapis, quantumuis preciosus, est gemma.

Deinde, etiamsi dicamus murrhina fuisse gemmea; non mirum tamen notas eius à Plinio scriptis mandatas in nullis gemmis hodie inueniri. quia fortè, vt alia multa, ita & murrhina penitus amissa sunt: nec, vel quæruntur, vel eruuntur iis ex locis, ex quibus olim eruebantur. Et fortè, si quis in vera murrhina, ea arte, qua olim parata, incideret, notas Plinianas statim agnosceret. Certè, si notas onychis traditas à Plinio, & aliis, in nulla gemma inueniremus, affirmandum potius esset, onychen hac ætate à nullo haberi, quàm fictilem fuisse.

II. Argumentum. *Splendor sine viribus, nitorq; verius, quàm splendor, qui murrhinis inesse dicitur, gemmeæ naturæ non conuenit, quæ multò acrius, quàm*

marmor effulget. Quid infert Mercatus? *Ergò murrhina fuerunt fictilia.* Nihil minus sequitur. quia potuerunt nihilominus esse lapidea, licet non essent gemmea, vt iam aliquoties diximus.

Deinde respondeo, etiam murrhina quædam transluxisse, tametsi hoc in vitio ponebatur, vt ait Plinius, gratioraque essent, quæ non translucerent. Neque enim est de ratione gemmeæ naturæ, vt transluceat. Potest quidem esse pellucida, & vulgò præstantior iam censetur: sed tamen gemmea natura etiam sine hac, vt sic dicam, *translucentia*, consistere potest. Quare inanis est hæc consequutio. Quædam murrhina non translucebant, ergò murrhina non fuerunt gemmea. Sicut non sequitur: Onyches quædam non translucent, ergò Onyches non sunt gemmeæ naturæ. Vel Onyches interdum habent etiam splendorem, sine viribus, eò quod oculos fulgore suo non perstringant; ita vt verius sit nitor quidam, quàm splendor: ergò Onyches non sunt gemmeæ substantiæ.

III. Argument. *Lapideæ naturæ non conuenit, vt sit odorata: sed myrrhina erant odorata. Nam, & in odore aliqua commendatio est*, inquit Plinius: *Multò minus conuenit naturæ lapideæ sapor, quem tamen Martialis murrhinis tribuit. Quia lapis ponitur ab Aristotele lib. de sensu, & sensili, inter exempla corporum, quæ sapore & odore carent.*

Ad hoc argumentum benè respondet Guibertus in sua assertione de murrhinis: illud Aristotelis potissimum intelligi debere de lapidibus non calefactis, & inflammatis, qui vt plurimum sine odore, & calore sunt. Sed, si atterantur, vel infusione calidæ, aliterue affecti liquoris qualitate quasi excitentur, tum vix erit, qui lapides odore, vel sapore destitutos neget. Imò aliqui lapides natura sua olent, absque vllo externo quasi suscitabulo. Nam myriten lapidem vnguenti habere odorem, scribit Plinius; attritum, etiam nardi. Eidem aromatites myrrhæ & colorem, & odorem habet. Myrsinites myrti odorem habet, eodem Plinio auctore. Antachates cum vritur, myrrham imitatur, teste Plinio. Non repugnat igitur principiis naturalibus, *nec est à ratione alienum*, inquit Guibertus, *saporem, & odorem fuisse vasis murrhinis, idq; à natura præsertim, cum calidum vinum infunderetur.* Calor enim saporem, & odorem elicit. Ad testimonia Propertij, & Arriani satis iam supra respondimus.

IV. Argument. petitur à nomine. *Myrrhina nomen habent à myrrha. ergò non sunt lapidea, vel gemmea. Est enim myrrha arbor.* Sed argumentum

tum hoc laborat morbo homonymiæ, seu æquiuocationis. quæ argumentandi ratio si valeat, dicam & ego; myrrhites nomen habet à myrrha, ergò myrrhites non est lapis: Canis cœlestis nomen habet à terrestri, ergò canis cœlestis non est sidus: quia canis terrestris non est sidus. Myrrha non tantum arborem, sed & lapidem, seu gemmam significat, quæ Græcis est μύῤῥα, seu μόῤῥα, seu μόῤῥα. Nam myrrham arborem Græci appellant *σμύρναν, smyrnam.* Nec probo quod Guibertus existimat παρὰ τὸ μύρον myrrhina, seu murrhina vasa nomen inuenisse. A murrha enim, seu myrrha nomen ducunt: à myrrha inquam lapide: qua notione apud Martialem, & alios occurrit hæc vox, vndecunque tandem ipsius myrrhæ origo & originatio peti debeat.

Ad id, quod additur ex Fulgentio, Respondeo, myrrhinum poculum apud Petronium Arbitrum non esse poculum myrrha, sed myrta, seu myrto conditum, vt & myrrhinum apud Sutrium Comœdiarum scriptorem, quem Fulgentius pariter citat: quin & myrinum, (sic enim multi legunt apud Fulgentium) potest esse à *myro*, hoc est, vnguento, vt putat Hadrianus Iunius. Nam quod Fulgentius ad myrrham retulit, vocis ambiguitate deceptus est, vt & alij. Et quamuis fateremur Fulgentium, myrrhinum poculum rectè à myrrha deriuasse, non tamen sequeretur inde, vasa myrrhina fuisse fictilia, vt contendit Mercatus: & multò minus, vinum illud fuisse dulce, gratumque gustui, vt istis videtur: quia aliò fine poculum myrrhinum, hoc est, interprete Fulgentio, myrrhatum sumpserunt, nempe, vt se concitarent ad libidinem, vt inquit Fulgentius: *quod hoc genus pigmenti, sit valdè feruidum.* Sed alius, vt dixi, sensus est myrrhini poculi, quàm putet Fulgentius, vt iam antea dictum.

Fulgent. lib. 3. Mytholog. ca. 8.

CAPVT X.

Murrhina non fuisse confecta ex concretis murrha lachrymis.

QVINTAE sententiæ auctores aiunt vasa murrhina fuisse confecta ex lachrymis, seu fructu myrrhæ. Dicunt enim, *materiam ex myrrhæ arbore incisa fluentem, in massam coagmentari, coloribusq́; ad speciem inductis, artem inde pocula fingere: olim in summis deliciis habita: myrrham autem illam esse, quæ hodie ab Indis vocetur Benzui.* Hæc opinio duo continet. Primum est, quod ex lachrymis myrrhæ concretis vasa murrhina olim sint confecta.

Alterum: quod Indicum *Benzui* sit germana myrrha. Vtrumque falsum est. Primum sic demonstro.

Illi ipsi Auctores, qui huic quintæ sententiæ patrocinantur, docent murrhina fuisse fictilia. Ergò si ex myrrha fuerunt confecta, non potuerunt esse fictilia: aut, si fuerunt fictilia, non fuerunt ex myrrha. Fictile enim Græcis *κεράμιον*, seu *κεραμεῖν* propriè illud dicitur, quod opere figulino fit, *ἐκ κεράμου*, *ex terra figulari*, hoc est, ex creta, argilla, aliáue simili: at murrhina non fuerunt huiusmodi, si fuerunt ex myrrhæ densatis lachrymis confecta, siue materiam, siue rationem materiæ illius præparandæ spectes: fuerunt enim torno, vel cælo facta: non ergò inter fictilia collocari possunt. nisi quis omne illud velit vocare fictile, quod ab arte paratur, quocunque modo, aut ex quacunque materia: quod nihil aliud esset, quàm nouas vocum significationes fingere.

Secundò ex materia murrhina conficiebantur non tantum vasa potoria, sed & escaria, testibus Iaboleno Iurisconsult. & Plinio: imò Heliogabalus, vt omnibus in rebus monstrosum se ostenderet, matulis murrhinis vtebantur. Trullæ etiam, & abaci, vt Plinius auctor est, murrhini reperiebantur. Quod si hæc vera sunt, vt certè sunt, quis non videt, ex myrrha, materia infirma, & fragili, tantæ firmitudinis opera confici non potuisse: quantæ oportet esse abacos, vt vasa escaria, vt potoria prætercam: ne dicant; ex vitro hæc facta; potuisse igitur ex murrha quoque fieri. Nam nec tam firma quidem est concreta myrrha, quàm vitrum, præsertim aduersus liquorem calidum, vel frigidum. Vitrum enim liquore infuso non dissoluitur, nec facilè frangitur, nisi vi vehementiore foris adueniente.

L. Vasa ff. de supellect. Lege Plin. lib. 37. c. 2. Capitol. Heliog. Plin. loc. cit.

Si dicant, suum illud *Benzui* firmius esse, ac proinde ex illo, non ex ea, quam hodie murrham vocant, vasa illa fuisse confecta: Respondeo, ne hoc quidem rectè asseri: Tum, quia tantæ firmitatis *Benzui* non est, vt abaci inde fiant: Tum, quia facilè calido cibo, & potu, & eo liquore, quem Heliogabalus iniiciebat, fuissent vasa illa dissoluta, splendoremque toties tersa, & extersa penitus amisissent. Nec obstat, quod Consularis ille, de quo Plinius, ob amorem in suum poculum, murrhinum marginem eius seu abraserit, seu abroserit. Non enim myrrha, vel *Benzui* tantùm, sed & lapis diuturnitate tandem abradi, & atteri potest.

Præterea si murrhina vasa veterum conficiebantur ex coalitis myrrhæ lachrymis, debuissent Græci à myrrha, seu smyrna

eis

eis nomen imponere: quippe factis ex ſmyrna. Nam quid aliud ſunt lacrymæ myrrhæ, etiam condenſatæ, quàm myrrha, ſeu ſmyrna, cùm & arbor, & fructus idem nomen habeant: At Græci non vocant vaſa murrhina, *σμύρνινα*, vel *σμυρνεῖα*, vel *σμύρνεια*, vel *ἐσμυρνισμένα*, vel *σμύρνης πεποιημένα*; ſed *μύῤῥινα*, vel *μόῤῥινα*, vel *μόῤῥια*, non igitur erant vaſa illa ex myrrha, ſeu ſmyrna.

Galen. in Gloſſ.

Scio Galenum tradidiſſe, Aeoles pro vocabulo *ſmyrnæ*, vſurpaſſe vocabulum myrrhæ: vnde fortaſsis alicui videri poſſet vox illa *murrhinum*, ſeu *myrrhinum* Aeolica formatione deſcendere. Sed, ſi inde deriuatur, quare Græci ſcriptores Arrianus & Pauſanias, cum de poculis murrhinis agerent, ea nō ſunt vſi? Neuter certè à ſmyrna ſeu myrrha Aeolica vocem *murrhina* deducere potuit; cum vterque vaſa murrhina pro lapideis habuerit; quia neque ſmyrna communis, neque myrrha Aeolica lapis eſt.

Quæ ratio confirmat etiam, rectam eſſe lectionem, quæ habetur in exemplaribus Arriani & Pauſaniæ, ne quis temerè contra ſcripturam excipiat; eandemque ob cauſam non probo illorum originationem, qui vaſa murrhina *παρὰ τὸ μύρον*, *ab vnguento* formant. Nam, ſi ita eſſet, Græci Auctores, cùm de murrhinis ſcribunt; vocabulum Græcum *μύῤῥινον* vſurpaſſent: non, illud *μύῤῥινον*, vel *μόῤῥινον*, ſicut vſurpant illud, cum de vino murrhino ſermo eſt, quod *παρὰ τὸ μύρον* rectè aliqui deducunt, vt infrà demonſtrabimus.

Deinde ſicut vocabulum Aeolicum *myrrha* nunquam in communem linguam Græcam receptum eſt: imò neque Aeolibus vſitatum fuiſſe ſciremus, niſi Galenus, & pauci alij, id annotaſſent: ita, licet Aeoles inde formaſſent hoc adiectiuum *μύῤῥινος*, vel *μύῤῥιος*, nunquam tamen in communem linguam Græcam tranſiſſet: cùm ipſi communi linguæ ſua ſint nomina, quibus ea, quæ ex myrrha fiunt, ſignificet, vt *σμύρνινος*, & id genus alia.

Si quis contendat, Latinos ab Aeolibus vocem *myrrham*, & *myrrhina* accepiſſe, & Græcos, qui de myrrhinis mentionem fecerunt, à Latinis; is partim rectè, partim malè ſentiet. Rectè quidem, Latinos accepiſſe *myrrham*, & *myrrhinam* ab Aeolibus, prout ſignificant nobilem illam plantam; & id, quod ex illa: ſed hac notione Græci vocabulum *myrrhinus* à Latinis non ſunt mutuati: malè autem ſentiet, ſi velit, vocabula *myrrhæ*, & *myrrhini* accepiſſe Latinos ab Aeolibus, prout ſignificant vaſa murrhina. Cùm enim Latini veteres habuerint iſta vaſa pro gemmeis, & lapideis, vt ſupra copioſè demonſtratum eſt; non potuerunt illis nomen imponere à *myrrha*, ſeu *myrrhino* Aeolū, quippe cum plantam, eiuſq; fructum; non gemmam aut lapidem ſignificet,

& ob id Græci Latinos ſequuti, appellarunt hæc vaſa μύῤῥινα, vel μύῤῥινα, vel μύῤῥια, vt planè appareat, ea nihil cum *ſmyrna*, ſeu *myrrha* planta habere commune, præter vnicam affinitatem, & ſimilitudinem nominis, quæ apud Latinos, non autem apud Græcos intercedit cum illa dictione Latina, & Aeolica *myrrha*: at ſi ex ſimilitudine nominum ſemper colligere velimus ſimilitudinem rerum, poterunt iſti facilè probare gemmam, ſeu lapidem myrrhiten, cui hoc nomen Latini iuxta & Græci tribuunt, eſſe ex myrrha, ſeu lacrymis myrrhæ.

Vide Plin. lib. 37. cap. 10.

Adhæc non video, cur veteres, & recentiores adeò potuerint de materia murrhinorum vaſorum diſputare, ſi erant ex coalitis myrrhæ lacrymis. Nam myrrha notiſsima fuit; quod, cùm ex aliis liquet, tum ex Columella, qui ſcribit, myrrham Romanis adeò innotuiſſe, vt eam in hortis quoque ſuis plantarint: *Aiunt Iudæam, & Arabiam,* inquit ille, *precioſis odoribus illuſtrem haberi; ſed nec noſtram ciuitatem prædictis egere ſtirpibus, quippe pluribus locis vrbis iam caſiam frondentem conſpicimus, florentesq́; hortos myrrha & croco.*

Col. lib. 4. de re ruſt. cap. 8.

Facili item opera definire licuiſſet Iureconſultis, vtrum murrhina vaſa inter gemmas numeranda forent, an ſecus, cùm tamen hac de re diſceptarint, vt ſupra ex Vlpiano dicebamus. Nã lacryma myrrhæ non eſt gemma. Si dicant, ex lacrymis myrrhæ fieri murrhina, eo modo, quo quidam volunt ex glacie per ſubſtantialem tranſmutationem fieri cryſtallum, & vaſa cryſtallina: oſtendere iſti in primis debent, quomodo, & vbi hæc tranſmutatio fiat; vtrum ſub ipſis arboribus myrrhæ, an alibi; tranſlato illo humore, & quaſi in alium locum tranſplantato. Mutationem hanc fieri ſub ipſis myrrhæ arboribus, non ſit veriſimile: cùm pretioſus ille humor, quando ex myrrhis manat, ſeu ſponte, ſeu inciſione, diligentiſsimè excipi ſoleat ſuppoſitis tegetibus, vt ex Theophraſto, Dioſcoride, & aliis compertum eſt: imò & terra, inſtar pauimenti, circa arborem ſternitur: ne, quid lacrymarum à terra abſorbeatur. Si alibi hæc mutatio contingit, oſtendant iſti locum; vt taceam, ex hoc conſequi, vaſa murrhina non fuiſſe ex myrrha, myrrhæúe liquore concreto, quod tamen iſti contendunt. Nam quod ſpecie differt à myrrha, myrrhæq́; liquore, illud nec myrrha eſt, nec myrrhæ liquor: ſed quod per ſubſtantialem tranſmutationem naſcitur ex myrrhæ liquore, id ſpecie differt à myrrhæ liquore: nam ex ſpecie ſecundum ſubſtantiam tranſmutata, non fit eadem ſpecies, ſed diuerſa. Ex igne enim corrupto, non fit ignis, ſed aër: & ex aëre corrupto, non fit aër, ſed ignis, vel aqua. Ergo ſi qua hîc mutatio ſubſtantialis intercedit, neceſſe eſt, lacrymas myrrhæ, & materiam myrrhinorum ſpecie diſtingui.

Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 4. Dioſc. li. 1. c. 67.

Cæte-

Cæterum, quàm nouum, & incredibile eſt, myrrham eſſe propriè illud, quod hodie Indis dicitur *Benzui?* Quis credat Græcos, & Latinos Auctores; ſacros & profanos, Medicos, & Philoſophos, addo & mercatores, hactenus ignoraſſe, quænam ſit myrrha propriè dicta? Quis credat Ioſephum ab Arimathia centum libras myrrhę, & aloës ad ſepulturam Chriſti adferentem, attuliſſe Indicum illud *Benzui*. Adde, quod omnes ſcriptores, tam ſacri, quàm profani, dicunt, myrrham eſſe amaram: ex quibus Theophraſtus; *ἔστι δ' ἡ σμύρνα θερμὴ, καὶ δηκτικὴ μετὰ στύψεως. ἔχει δὲ καὶ πικρίαν. Eſt verò myrrha calida, & mordax cum adſtrictione. Habet autem & amaritudinem.* At *Benzui* dulce eſt, gratumque guſtui: non poteſt igitur myrrha eſſe *Benzui*.

Obiiciunt, myrrham & Benzui eiuſdem ferè eſſe coloris. Quid tum? An rectè inde concludes, eiuſdem eſſe naturæ & ſpeciei? quàm multa animalia, quàm multę plantę, quàm multi lapides colore conueniunt, & tamen ſpecie differunt. *Myrrhites lapis, myrrhæ colorem habet,* vt auctor eſt Plinius. Myrrhæ non modò colorem, ſed & odorem habet aromatites, vt idem teſtatur; & tamen & ille ab iſto, & vterque à myrrha, ſpecie differt.

Plin. lib. 37. cap. 10.

Denique Indici ſcriptores, qui Indiam curioſiſsimè perluſtrarunt, diſtinxerunt *Benzui* à myrrha; vt Aloyſius Catamuſtus, & Ludouicus Romanus, cuius hæc verba: *Genus arboris, cuius gummi elegantiſſimum illud vnguentum gignit, quod vulgò Belzoi nuncupatur, laſerpitium eruditiores ab arbore laſeris dicunt.* Et alibi: *Laſer eſt arbor, quæ electiſſimum gummi illud gignit. Laſerpitium appellant doctiores, vulgò autem Belzoi dicitur.* Idem docet Matthiolus, niſi quod notat, illum, qui Ludouici Romani peregrinationem ex Italico in Latinum tranſtulit, erraſſe, dum arborem vocat *laſer*, ipſum verò gummi, ſeu ſuccum *laſerpitium*: cùm laſerpitium ſit arbor; gummi, laſer: quod Matthiolus dicit eſſe Belzoinum, ſeu Benzui. Porrò inter genera laſeris primas tenet, vt ait Dioſcorides, *rufum, tranſlucens, myrrhæ æmulum, non porraceum.* Quæ laſeris cum myrrha ſimilitudo, iſtis occaſionem dediſſe videtur, vt crederent, Benzui, ſeu laſer, eſſe myrrham. At non eſt myrrha, quidquid myrrhę quoquo modo ſimile eſt. Aliôqui etiam ex Indica ſpina myrrham colligeremus, de qua Theophraſtus: *qualem etiam ſpinam Indicam reddunt, ex qua illud myrrhæ ſimile gignitur.*

Catam. lib. ſua nauig. cap. vlt. Ludouic. lib 6. nauig. c. 8. 14. 19. 21.

Matthiol. in Dioſcor. lib. 3. cap. 28.

Theophr. lib. 9. hiſt. plant. c. 1.

Imò idem Theophraſtus teſtatur, multos deceptos fuiſſe ſimilitudine, quam cum myrrha quædã habebant. *Nec deſunt,* inquit Theophraſtus, *quæ tum in radice, tum in caule habeant* (lacrymam odoratam) *caulem enim, & radicem nonnullorum liquare conſueuerunt, vt etiam laſeris. Ergo equapij lacryma myrrhæ ſimilis conſtat; quamobrem cum quidam hinc naſci myrrham*

myrrham audiuissent, equapium apud se prouenire putarunt. Et, vt huic capiti finem imponam, *cancamum* simile est myrrhę, vt docet Dioscorides, & tamen specie à myrrha differt.

Diosc. lib. 1. c. 23.

CAPVT XI.

De vsu, & precio murrhinorum.

L. supellectili. ff. de supell. leg. Plin. lib. 37. c. 2.

RESTAT vsus, & precium murrhinorum. Vtrumque fuisse eximium, ait Iurecons. Paulus. Vsus eorum duplex fuisse videtur. Alter, potui refrigerando, cui testis Plinius. *Eandem omnia hæc, quam gemmæ auctoritatem obtinent: sanè maiorem aliquibus de causis crystallina, & murrhina vasa,* rigidi potus vtraque.* Alter erat: quia calidum potantibus, hæc in primis vasa expetebantur ob gratum saporem, quem ex murrhinis vasis contrahebat potus calēs. Hunc vsum adstruit Martialis eo apophoreto, cui lemma, seu titulus: *murrhina.*

* frigida

Mart. lib. 14.

Si calidum potas, ardenti murrha falerno
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Scal. Exerc. 92.

Fortè etiam in murrhinis, infuso calido potu, id accidebat, quod se in *porcellanis* experientia didicisse Scaliger testatur; vt scilicet ab ardentissimo potu tantùm duntaxat incalescerent, quantum liquor infusus occuparet, partibus vicinis à calore liberis. Vnde fiebat vt murrhinum poculum sine molestia tractaretur ab iis, qui ardentia propomata, & vina hauriebant: reliqua enim vasa, cuiuscunque generis, illud molestiæ habuisse, quod calidum potantibus molesta esset eorum tractatio, testatur Clemens Alexandrinus. *Argenteorum, & aureorum, gemmeorumq́ poculorum irritus, & inutilis est vsus, vt qui sit visus solùm deceptio. Nam siue iis calidum mistum liquorem infuderis, ex calefactorum vasorum molesta est tractatio; siue rursus frigidum infuderis, qualitatem materiæ transfundit, liquorem corrumpens, & est damnosus potus.*

Clem. lib. 2. pædag. cap. 3.

Plin. lib. 37. c. 2.

Quanti precij murrhina fuerint, docet Plinius his verbis: *Excreuit indies eius rei luxus, murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potauit ex eo ante hos annos Consularis, ob amorem abraso eius margine, vt tamen iniuria illa precium augeret. Neq́ est hodie murrhini alterius præstantior indicatura.*

Ibidem: *T. Petronius Consularis moriturus, inuidia Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis sestertiis emptam fregit. Sed Nero, vt par erat, Principes vicit omnes, trecentis sestertiis capidem vnam parando. Memoranda res, tanti Imperatorem, patremq́ patriæ bibisse.* Conficiunt autem ista trecenta sestertia, quibus murrhinum poculum ait Plinius emptum, scutatorum VII. M. Iↄ.

Eôdem.

Eôdem loco tradit Plinius cryſtallina, & murrhina aliquibus de cauſis maiorem auctoritatem habuiſſe, quàm gemmas. Pompeius item triumphans, qui primus cum ſuo triumpho murrhina pocula in vrbem inuexit, vt teſtatur Plinius, Ioui Capitolino ex ſpoliis, ſex pocula murrhina dicauit. Teſtatur idem Plinius: Romanis pocula argentea & aurea artificioſiſsimè cælata, & picturata ſordere cœpiſſe præ murrhinis. Imò aurum tantummodo acceſsionem fuiſſe.

Plin.lib.33.in proœm.

Præterea Auguſtus ex ſpoliis Aegyptiis nihil ſibi retinuit, præter calicem murrhinum, teſte Suetonio. Ex quo patet, murrhinum calicem ab Auguſto prælatum fuiſſe aureis poculis. Deniq; Lampridius, precioſiſsima vaſa, quibus inſano luxu abutebatur Heliogabalus, enumerans, inter ea etiam collocat murrhina.

Sueton.Aug. cap.71.

His de murrhinis hunc in modum explicatis, accedamus ad id, cuius gratia hæc omnia adduximus, nempe vinum myrrhatũ, quod Chriſto eſt oblatum, hoc nomen non accepiſſe à poculis murrhinis, qualiacunque tandem illa fuerint. Hoc probatur primò ex ipſo nomine, quo vſus eſt S. Marcus. Vocauit enim οἶνον ἐσμυρνισμένον. Sed nullum vinum bibi ſolitum ex poculis murrhinis dici poteſt ἐσμυρνισμένον: Quia iſta pocula non habuerunt nomen à *ſmyrna*; quæ fuerunt ex lapide precioſo, vt nos putamus; vel ex porcellanis, vt putat Scaliger: vel ex murice, vt arbitratur Bellonius: Ergo vinum ex huiuſmodi poculis bibi conſuetum, non potuit dici ἐσμυρνισμένον, ſeu myrrhatum.

Secundò, οἶνος ἐσμυρνισμένος, *vinum myrrhatum*, eo modo dicitur, quo in tertio libro Machabæorum λελιβανωμένος, *vinum thuratum*, vt ita loquar. Sed hoc vinum non habet nomen ab aliquo vaſe thureo ſeu λιβανίνῳ, ſed à thure impoſito, vt patebit legenti citatum illum locum: ergo neque vinum myrrhatum hoc nomen à vaſe habet, ſed ab iniectu myrrhę. Et ſicut ex thure condenſato pocula nulla fiebant, ita nec ex myrrha conficiebantur.

Tertiò, licet pocula hæc fuiſſent confecta ex myrrha, quam Gręci vocant *ſmyrnam*, ſeu ex lacrymis myrrhæ condenſatis, non magis tamen potuiſſet dici tale vinum ἐσμυρνισμένον, quàm vinum ex iuniperinis poculis, vel ex argẽteis, aureis, cryſtallinis, vitreis, bibi ſolitum, dici poſsit iuniperinum, argenteum, vel argentatum, aureum, vel auratum, cryſtallinum, aut vitreum; Non enim vinum à poculis denominari ſolet, ſed ab aromatis & condimentis vino iniectis, vt ſupra etiam demonſtrauimus.

Dices: Cùm, vt ex Martiali conſtat, vinum calidum murrhinis infuſum, ſaporem gratum inde contraxerit, nihil à veriſimilitudine

E abhor-

abhorrens asseret, qui vinum tali vasi infusum & iucundo sapore ex poculi contactu donatum, dicet; ab Euangelista Marco fuisse *vini myrrhati* nomine affectum. Respondeo, à fide prorsus abhorrere, Christo in Caluariæ monte vinum calidum porrectum fuisse. Nam calidum vinum ex vasis murrhinis gratum saporem collegisse, testatur Martialis: de frigido silet. Secundò, obstat his Græca vox ἐσμυρνισμένον, quæ in vasa murrhina, & in ea, quæ inde nominationem sortiuntur, (si quæ sortiuntur) conuenire nequit, vt iam sæpius ostensum. Obstat & Latina vox *myrrhatum*, Græcæ illi respondens, quæ nos docet, *myrrhatum* esse à myrrha planta, seu fructu plantæ, non à myrrha seu murrha lapide. Quis vnquam audiuit vinum ex gemma potatum, nominari *gemmatum?* Ergo nec ex myrrha lapide seu gemma bibitum; dici potuit myrrhatum.

Quartò, quis credat, poculum pretiosissimum, ad ipsum supplicij locum allatum esse, vt Christo haustus inde iucundior esset? Fuisse enim vasa murrhina pretiosissima, iam antea ex variis auctoribus diximus. Quod pretium, qui perpenderit, is non facile in animum inducet credere, eiusmodi aliquod vas, aureis, & gemmeis præpositum, in montem Caluariæ fuisse elatum, vt Christo, & duobus latronibus, cum Christo crucifigendis, potus inde præberetur. Quis, inquam, credat, poculum rarum, & immani pretio carum turbæ carnificum commissum fuisse? Notum, quomodo horruerit antiquitas vasa ab eiuscemodi personis tractata. Tertullianus: *Calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit, sed fristricis, vel archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes, quàm oscula ipsorum etc. At enim & calix bene sibi conscius, & de* innocentia ministerij commendatus, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur, &c. Est ergo & in vascula, & in instrumenta sententiam figere, vt Dominorum & auctorum meritis & ipsa communicent.* Taceo, murrhina, vt & crystallina, non fuisse apta, quę in tumultuante turba circumferrentur. *Ipsam enim fragilitatem,* ait Plinius, *murrhinis & crystallinis fecisse pretium.*

Tertull. lib. de resurr. carn. cap. 16.

** diligentia.*

Plin lib. 33. in proæm.

CAPVT XII.

Vinum myrrhatum in Euangelio, non esse veterum murrhinam, seu myrrhinam.

PRIVS nomina explicabimus, vt postea de ipsa re eò clarius disserere liceat. Nomina igitur ad propositum nostrum spectātia, quibus Auctores vtuntur, cùm de murrhina agunt, hæc ferè sunt, vt ex sequentibus patebit:

μυῤῥίνη,

μυῤῥίνη, μυρίνη, μυῤῥίνης οἶνος, μυρίνης οἶνος, μυρρίτης. Nam *μυῤῥινίτης*, & *μυρινί-της*, licet idem sign ificare posſint, remotiora tamen ſunt, ſi formationem conſideres. Latina à Græcis flexu nonnullo deducta, ſunt iſta: *Myrrhina, murrhina, myrrina, murrina, myrina, murina, vinum murratum, murrata potio, murriola, moriola* ſeu *morriola*. Quibus omnibus vocabulis ab origine græca formatis, idem omninò ſignificatur, quidquid illud ſit, etſi ſcriptura diuerſa; cùm Latini Græcorum υ ψιλὸν aliquando retineant, aliquando ſuum in u conuertant: cumque ſimiliter aſpirationem Græcorum interdum ſeruent, interdum abiiciant; & alias, quas addere libuerit, græcæ origini variationes addant: non nouo, ſed veteri ritu. Hæc breuiter de vocibus.

De re vocibus ſubiecta quatuor video adduci poſſe ſententias: quarum prima Feſti, vel potius aliorum apud Feſtum, qui putant, murrhinam eſſe vinum ex vuæ genere, cui nomen murrina: *Murrina*, inquit Feſtus, *genus potionis, quæ Græcè dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolam, quidam murratum vinum, quidam id dici putant ex vuæ genere, murrinæ nomine.* Ait Feſtus, *murrinam* appellari Græcè *nectar*, hoc eſt, deorum potum, forſan ob dulcedinem.

Feſtus V. murrina.

Ex quo liquet, cur diis ad puluinaria fuerit addita murrina, cautumque, ne mortuo inderetur, néue rogus, vel ſepulcrum murrina conſpergeretur. Primum illud fiebat; quia Deorum potus exiſtimabatur ob iucunditatem: alterum verò; quia nefas putabant, potum Deorum pollui contactu cadauerum. Verba Feſti hæc ſunt: *Murrata potione vſos antiquos, indicio eſt, quod etiam nunc ædiles per ſupplicationes Diis addunt ad puluinaria. Et quod duodecim tabulis cauetur, ne mortuo indatur, vt ait Varro in antiquitatum libro primo.* Tradit & Chæreas Babylone vini quoddam genus factum eſſe, quod *nectar* nominarint, ob ſuauitatem videlicet, non ſine reſpectu ad nectareum illum Deorum potum.

Feſt. loc. cit.

Apud Athen. lib. 1. c. 29.

Secunda ſententia eſt Nonij, qui ex Varrone docet, murrhinam fuiſſe *loram* ſeu *loream*. Verba Nonij hæc ſunt: *Antiquæ mulieres maiores natu, ait Varro libro de vita populi Romani; bibebant loram, aut ſapam, aut defrutum, aut paſſum, quam* (loram) *murrhinam quidam Plautum appellare putant*. Hæc enim eſt vera lectio Nonij. Nam quod nonnulli legunt, *quod*, nempe *paſſum*, murrhinam quidam Plautum appellare putant, id, vt paucis dicam, ineptum eſt: cùm ipſe Plautus in Pſeudoſo, murrhinam à paſſo expreſsè diſtinguat, eo ipſo verſu, quem Plinius citat. Nec dici poteſt relatiuum *quam*, referre *ſapam*, quia hanc comprehendit Plautus ſub *mellina*, quia ſapa vocabatur etiam *mellaceum*, teſte No-

Nonius cap. de genere ciborũ & potuum.

nio. Est autem lora confectæ potionis genus grandæuis aptum, vt ait Nonius: qui, & ibidem tradit, quomodo lora conficiatur: *Loram dicebant in vindemia, cùm expreßissent acinis mustum, & folliculos in dolium coniecissent.* Breuius Plinius loram docet fieri maceratis aqua vinaceis; eiusque tria genera ponit.

Plin. lib. 14. cap. 10.

Hanc loram à Plauto appellatam *murrhinam*, illud probabile facit, quod Plautus *murrhinam* iungit cum *defruto, passo, mellina*, quæ & sapa, si Nonio credimus dicenti: sapam quoque *mellaceum* vocatam. Cùm igitur Plautus eo versu voluerit comprehendere pleraque dulcium genera, vt *passum, defrutum, mellinam*, seu *sapam*; credibile fit, ab eo non omissam loram, quæ, vt ex Varrone dictum est, æquè inter dulcia fuit habita; sed nomine *murrina* comprehensam esse. Gellius item loram seu loream à murrhina discriminat. Scio non deesse, qui *loram* & *loream* distingui tradant. Forsan nouitati quàm veritati conuenientius.

Lege de his Non. loc. cit. Pallad. lib. 11. de re rust. in fine. Colum. lib. 13. Cato passim lib. de re rust. Gell. lib. 10. cap. 23.

Tertia sententia vult myrinam, seu murinam esse vinum illud, quod Græci appellant μυρίνην, vel μυρίτην, παρὰ τὸ μύρον, *ab vnguento*. Nam veteres vnguento vina condiisse, multi testantur; inprimis Pollux: ἦν δέ τις καὶ μυρίνης οἶνος μύρῳ κεκραμένος. *Erat & vinum myrinum vnguento mistum.*

Aelianus: μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυρινίτης: vel, vt alij legunt, μυρίτης (nam vnum & idem est μυρινίτης, & μυρίτης, sicut *candidatum*, & *candidum*) *Vnguento enim vinum miscentes ita bibebant, & vocabatur illud vinum myrinites*, vel *myrites*.

Aelian. lib. 12. histor.

Vbi vides, *vinum vnguentatum*, à Polluce μυρίνην dictum, nominari ab Aeliano μυρίτην, vel μυρινίτην. Hesychius: μυῤῥίνην ἔνιοι μὲν οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσιν, οἱ δὲ πότον ἐσκευασμένον, οἱ δὲ πόσιν φασίν, ᾗ ἐπεχεῖτο μύρον. *Murrhinam alij quidam vocant vinum myrrhinum, alij verò potum factitium, alij verò potum, cui infundebatur vnguentum.* Hac Aeliani, & Hesychij auctoritate constat, vinum vnguentatum non modò appellari posse μυρίνην simplici ρ, sed etiam duplici μυῤῥίνην ab eadem origine, ac proinde idem Latinè rectè itidem dici *murinum*, & *murrhinum*.

Hesych. in lexic.

His adde Theophrastum, qui & ipse docet, vnguenta à priscis vino addita, cùm ait: *quædam misceri ipsius olfactus causa, vt recreent gustum: quem finem spectant*, inquit: οἱ δὲ μύρα τοῖς οἴνοις ἐπιχέοντες, *qui vnguenta vino affundunt.* Rursus: δοκεῖ δὲ καὶ τὸ μύρον ἡδύνειν τοὺς οἴνους, διὸ καὶ οἱ μὲν ἐν τῇ οἰνοποιίᾳ μιγνύουσι, οἱ δὲ οὕτως ἐπιχεόμενον πίνουσιν. *Videtur etiam vnguento reddi vinum suauius. Quocirca alij quidem in ipsa vindemia, viníque confectione miscent, alij*

Theophr. lib. de odoribus.

alij verò tum, cùm iam bibituri ſunt. Docet etiam ex inſtituto Athenæus, quænam vnguenta ſint ad potum apta. Eundem morem, vinum vnguentis perfundendi indicat Plinius, cum deplorans Romanorum luxuriam, ait; *quoſdam etiam vnguenta in potus addere.*

Athen. lib. 15.

Plin. lib. 13. c. 3.

Hanc ſententiam ſequitur ex recentioribus Hadrian. Iun. lib. 5. Animaduerſor. cap. 19. ita vt *murina*, ſeu *myrina* fuerit vinum myro conditum. Nam vocem *myrum*, pro vnguento Latinis quoque vſitatam, & receptam fuiſſe, teſtatur ex M.S. gloſſariis Turnebus, & patet ex Varrone, & Seneca, vnde & Romana editio Bibliorũ, *myrum* agnoſcit; & vbi antea legebatur *myrto*, corrigit: *& vnxit ſe myro optimo.* Conuenienter Græco; vbi ἐχρίσατο μύρῳ παχεῖ: *vnxit vnguento pingui.* In Rabani M.S. legitur: *myrrho.* Vetus Gloſſarium. Μύρον. *Vnguentum, murra.* S. Hieronymus præfat. in lib. Regum: *Sed & vos famulos Chriſti, rogo, qua Domini diſcumbentis precioſiſſimo fidei myro vngitis caput, &c.*

Iudith. 10.

CAPVT XIII.

Refertur, & probatur quarta ſententia de murrhinis; illuſtratur & corrigitur Plinius.

QVARTA ſententia eſt illorum, qui murinum referunt ad *myrtiten*, ſeu ad vinum *myrteum*, confectum ex baccis myrti, aliiſque ad myrtum pertinentibus, vt ex Dioſcoride, & aliis notum eſt. Quod vinum non modò *myrtites* dicebatur, ſed & *myrteum, myrtinum, myrſinum, myrtatum*, ſeu *murtatum* nominari poterat. Vſitatius eius nomen erat μυῤῥίνης (& aliâ ab hoc ipſo formatione μυῤῥινίτης, & ſimplici ῥ. μυρινίτης.) Meminit eius Athenæus ex antiquo ſcriptore Poſidippo; μυρτίτης δ' ἢ μυῤῥίνης οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ. *Vini myrtini, ſeu myrrhini mentio eſt apud Poſidippum.* Latinè appellatur *vinum myrrhinum*, eâ forma, qua Græci dicere ſolent, teſte Heſychio, μύῤῥινον στέφανον, *coronam myrrhinam*, ſeu, *ex myrto.* Abſolutè etiam ſine vlla adiectione nominant Latini hoc vinum *myrrhinum*, ſeu *murrhinum*, vt & Græci μυῤῥίνην, non modò ſubintelligendo οἶνον, vt ſit generis maſculini, ſed etiam ſubintelligendo πόσιν, vt ſit generis fœminini, ad quam Latini quoque reſpexerunt nominando ſimpliciter *murrhinam*; ſubaudiunt enim *potionem.*

Dioſc. lib. 5. cap. 51.

Athen. lib. 1. cap 29.

Idem vinum vocant Latini *murrinam*, ſeu *myrinam* à Græco μυρίνη, eiuſdem ſignificationis cum μυῤῥίνη. Vt enim hoc Atticè vſurpatur ſubſtantiuè quidem pro μυρσίνη, pro *myrto* arbore: (quæ & μυρτία & μυρτὶς, imò & *myrta* Latinè; vetus gloſſarium μυῤῥίνη, μυρσίνη, *myrta myrtus*)

tus) adiectiuè autem pro re, quæ ex myrto confecta est; ita etiam μυρσίνη vtramque significationem habet. nam & myrtum, & id, quod ex myrto est, significat.

Athen. lib. 13. Pollux. lib. 6. cap. 19. Idem lib. 10. cap. 19. & lib. 1. cap. 12. Theophr. lib. de odor.

Hinc apud Athenæum μυρσίνης στέφανος, *myrtea*, seu *myrina* corona; & apud Pollucem μυρσίνη absolutè pro *myrto*, seu pro myrtea corona: ibidemque τρεῖς μυρσίναι. *Tres myrinæ coronæ*. Alibi apud eundem μυῤῥίνας duplici ρ' vt & μυῤῥίνη, pro arbore. Habet etiam Theophrastus vocabulum μύρσινον à *myrto*. Sic enim appellat vnguentum ex foliis myrti confectum; vt & illud, quod fit ex fructu myrti; μύρτινον, seu, vt alij legunt, μύῤῥινον, quod nomen, vel certè huic vnica litera dissimile, μύρσινον, inuenitur apud Clementem Alexandrinum, pro *vnguento myrrhino*; & apud Dioscoridem, μυρσίνον ἔλαιον, *oleum murrhinum*.

Clem. Alex. lib. 2. pædag. c. 8. Diosc. lib. 1. c. 37. L. in argent. ff. de auro, & arg.

Accedit & Pomponius Iurecons. qui recensens varia vnguenta legari solita, addit & *murina*. Ita enim legendũ, non *mura*: quod quidam tradunt esse ab Aeolico μύῤῥα, extrito altero, ρ' vt sit *myra*, seu *mura*. Nimis longè petita est hæc deriuatio: neque *mura*, vel *myrrha* vnguentum est, sed res simplex, neque subsistere potest lectio illa, *ex myrrha*: quam nonnulli substituunt: quia non est peculiare vnguentum, quod ex myrrha fiat, quodque à myrrha myrrhinum appelletur. Sed ipsa myrrha ad omnium fermè vnguentorum compositionem adhibetur; vt capite sequenti perspicuum fiet. quamobrem de murrhino, seu myrtino vnguento loquutus est.

Fructus myrti propriè vocatur *myrta* seu *murta*. Suidas. Μύρτα ὁ καρπὸς τῆς μυῤῥίνης. *Myrta est fructus myrti*, tametsi perperam legitur apud Suidam: μυῤῥίκης, aliud est enim *myrica*. Hesychius. μυῤῥίνη, μυρσίνη, ὁ δὲ καρπὸς αὐτῆς μύρτα. *Myrrhina est myrtus*: at fructus eius myrta. Quamquam nomen arboris, & nomen fructus sæpe confundi solent, posita *myrto* pro *myrta*, & vice versa, vt cernere est in Antiquis Glossariis.

Plin. lib. 14. c. 13. & 16.

De hoc ergo vino myrteo, quod murinam seu murrhinam cum Græcis Latini appellant: scripsit, & intellexit Plinius illa duo loca: quorum alter est cap. 13. alter, cap. 16. lib. 14. natural. histor. Nam prior ita legendus est: *Laudatissima apud priscos vina erant myrtæ* (vel si mauis, myrti) *odore condita, vt apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur. quanquam in ea, & calamum addi iubet. Ideo quidam aromatite delectatos maximè credunt. Sed Fabius Dorsenus seu Dossennus his versibus decernit*:

Mittebam vinum pulchrum, murrhinam.

Et in Acharistione:

Panem, & polentam, vinum, murrhinam.

Scæuolam quoq; & Lælium, & Atteium Capitonem in eâdem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit:

Quod

Quod si opus est, vt dulce promat
Indidem, ecquid habet? Char. *rogas?*
Murrhinam, passum, defrutum, mellinam.

Quibus apparet, non inter vina modò murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatam.

Alterius verò loci lectio ita restituenda est: *Aromatiten quoq; inuenio factitatum, non tantum vnguentorum compositione, primò è myrta*, (vel si magis arridet, è myrto) *vt diximus, mox & nardo celtica, calamo, aspalatho; offis in mustum, aut dulce vinum deiectis.*

Vulgata exemplaria vitiosè habent; supra quidem: *myrrha odore*: hîc autem: ex *myrrha*. Aliqua; *mire*. Ex quo quidam faciunt *myri*, hoc est, *vnguenti*, & ita Hadrian. Iunius. Quædam manuscripta exemplaria dicuntur habere *murino*, hoc est, *vnguentario*. Nulla rectè. Nam *myrta* vel *myrti*, & ex *myrta*; vel ex *myrto* legendum esse, probatur primò ex veteri quodam codice: in quo disertè scriptum *myrta*. Est autem *myrta*, seu *murta* idem omninò quod *myrtus*, vel potius fructus myrti vt antea dictum: quo vocabulo vsus est Varro, cùm ait: *murtatum nominari à murta*; vt rectè obseruauit de Plinio optimè meritus Iacobus Dalechampius; licet nouissimæ quædam editiones Varronis habeant; *myrto*.

Dalecham. in cap. 29. lib. 15. Plin.

Eodem vocabulo vsus est Cato; cùm murrhini vini confectionem tradit, his verbis: *Myrtam nigram arefacito in vmbra, vbi iam erit passa, seruato ad vindemiam: In vrna musti confundito myrta semodium: id oblinito. Vbi desiuerit feruere mustum, myrtam eximito.*

Cato lib. de re rust. c. 124.

Quem Catonis locum citauit Plinius, cùm de myrtite, inquit; *Myrtiten Cato quemadmodum fieri docuerit, hoc paulò pòst indicabimus.* Indicat autem hoc ex Catone infra lib. 15. c. 29. Et post descriptionem tum myrtitæ, tum aliorum quorundam vinorum, subiungit illa verba: *Aromatiten quoq; inuenio factitatum non tantum, vnguentorum compositione, primò ex myrta, vt diximus*: Verbis videlicet paulò antegressis: vbi, quomodo myrtites fieret, ex Græcis docuerat: & ex Catone etiam se docturum indicarat: nisi quis dicat Plinium verbis illis, vt diximus, referre se ad cap. 13. Vbi dixerat, *vina myrta odore condita*, fuisse apud Priscos laudatissima. Cùm autem illud ipsum caput, vbi Cato myrtum seu fructum myrti nominat myrtam, Plinius adducat: & æquè, vt Cato, de myrtite conficiendo agat: meritò dubitari non potest, quin Plinius scripserit, *myrta*, seu *myrti odore*. quia Cato non loquebatur de vino *myrrha odore* condito.

Plin. lib. 14. c. 16. Id. lib. 15. c. 29.

Secundò, nemo non videt, procliue fuisse, ob vicinitatem nominum, ex *myrta*, & *myrta* seu *myrti* & *myrto*, facere *myrrha*, & *myrrha*: cum

non intelligeretur, quid sibi nomen *myrta* vellet: cumque myrrhinum, quod multa Plinij exemplaria ostendebant, potius præ se ferat myrrham, quàm myrtam, si solum vocabulum spectes. Quæ nominum similitudo cum Latina voce, *myrrha*, totam illam confusionem peperit; quæ in hac quæstione occurrit, cùm semper, audito *murrhini*, vel *myrrhini* nomine, ad myrrham plantam seu succum cuiusdam plantæ confugiant: quasi myrrhinum aliunde non formetur, quàm à myrrha planta, cùm æque ex myrto, seu myrta, & murra lapide, imò & ex *myro*, hoc est, vnguento, formari queat.

Tertiò; si lectio illa, *myrrhæ odore*, & *ex myrrha*, germana est; tunc vel Plinius verba illa scripsit respiciendo ad vasa murrhina, de quibus supra disputauimus; vel ad lachrymas myrrhæ arboris. Non primum: quia vasa murrhina, priscis Romanis, de quibus ibi loquitur Plinius, fuêre incognita: cùm, vt ipse Plinius docet, primum in vrbem sint inuecta Pompeij Magni triumpho, luxuria iam inualescente, austerosque illos veterum Romanorum mores penitus abolente. Quamobrem minimè potuit Plinius ibi scripsisse, laudatissima fuisse vina apud Priscos *myrrhæ odore* condita; hoc est, quæ ex poculis murrhinis bibebantur: cùm veteres Romani nulla huius generis pocula habuerint. Quo fit, vt neque Plautus murrhinam cum *passo, mellina, & defruto* coniungens, ad pocula murrhina respicere potuerit. quia hæc vasa ætate Plauti, Romanis, imò toti Italiæ, nullo in vsu erant, vtpote serò ex Oriente in Occidentem à Pompeio translata; vt omittam, murrhinum esse nomen vasorum, seu poculorum, non ipsius vini ex myrrhinis poculis bibi soliti. Nam vinum ex vitro, vel argento, vel crystallo bibi consuetum, non vocatur *vitrum, argentum*, aut *crystallus*. Ergò, nec murrhinum vinum à poculis hoc nomen habere potest: sed, oportet, vt aliunde nomen hoc inuenerit: cum à Latinis simpliciter soleat nominari *murrhina*, vel *vinum murrhinum*.

Neque potuit etiam Plinius scribere, *myrrhæ* odore, respiciendo ad lachrymas myrrhæ, quasi vasa murrhina ex illis fuerint cælata. quia, vasa murrhina, sunt lapidea ex Plinij sententia, vt supra fusè ostendimus.

Neque respicere potuit, scribendo illa verba, ad lachrymas myrrhæ, tanquam infusas vino: quia, myrrha amara est, & tam amara, vt ipse etiam Plinius vix ad vnguenta eam, si nimia sit, admittat, præter stacten, *ob nimiam amaritudinem*. At Plinius loquitur hoc loco de vino dulci, & quod cum mellina, passo, defruto, & id genus aliis, dulcedine certare possit.

Dein-

Deinde, quia vetustis illis Romanorũ temporibus, quibus murrhina maximè in vsu erat, tanta erat parsimonia, & in victu, potuque innocentia, vt minimè cogitarint de vino myrrha, re videlicet pretiosa, condiendo, cùm luxus aromatum, & vnguentorum peregrinorum, quæ *exotica* nominabantur, serò tandem in vrbem penetrarint; vt Plinius ostendit, qui & addit: *Antiocho rege, Asiaq; deuictis, Vrbis anno quingentesimo, sexagesimo quinto P. Licinium Crassum, L. Iulium Cæsarem, Censores edixisse, ne quis venderet vnguenta exotica.*

Plin. lib. 13. c. 3.

Quare, quod obseruatione dignum, nunquam in Catonis libro legimus, ad vllum factitij genus vini myrrham esse adhibitam, cùm tamen non pauca factitij vini genera Cato conficere doceat; videlicet; quia illis temporibus hæc sensuum blandimenta ignorata erant, & inusitata hominibus seueris, & rigidis: quorum proles non erat docta, *myrrheum crinem cohibere nodo*: Sed, vt ait idem Horatius, *Sabellis ligonibus versare glebas, & seuera Matris ad arbitrium portare fustes sol vbi montium mutaret vmbras, & iuga demeret bobus fatigatis.* Nam, quod Columella ait, Romæ myrrham creuisse, & ad defrutum aliquid myrrhæ addi solitum, id ad posteriora tempora pertinet, cùm, vt Horatius canit: *Fœcunda culpæ secula nuptias primùm inquinauêre & genus, & domos. Hoc fonte deriuata clades in patriam, populumq; fluxit.* Myrtis verò, & myrtetis Italiam plenam fuisse constat: vt & illud: myrtum, eiusque fructum gratissimi odoris esse. Imò Plinius testatur, semen myrti adeo esse odoratum, vt *odorem oris commendet, vel, pridiè commanducatum. In Ægypto tamen myrtus odoratissima est*, inquit idem Plinius ex Theophrasto: *succorumq; natura præcipuam admirationem in myrto habet*, ait idem Plinius. Et ob id; *ex vna omnium bina olei, viniq; genera fiebant: & ad intinctus & embammata* plerunq; myrtus addebatur saporis & odoris causa, vt idem Plinius auctor est. Quapropter Horatius quoque inter *copiam narium, quæ spargat odorem*, numerat cum *violariis*, myrtos & myrteta.

Hor. lib. 3. od. 14. Idem lib. 3. Od. 6. Columell. lib. 4. c. 8. & lib. 13. c. 21. Hor. loc. cit. Plin. lib. 23. c. 9. Plin. lib. 15. cap. 29. Hor. lib. 2. Od. 15.

Quartò, Plinium non scripsisse, *myrrhæ odore*, inde etiam perspicuum fit: quia, apud veteres, vel posteriores, nullum erat vinum, quod à *myrrha* diceretur *myrrhatum*, seu *myrrhites*. Ergò Plinius de huiusmodi vino loqui non potuit. Nam, si vinum myrrhatum olim in deliciis habebatur, qui fit, quod eius confectionem non tradiderunt illi, qui ex instituto de vinis factitiis scripserunt: vt Dioscorides, Cato, Columella, Palladius, & alij?

Quintò, si veterum *murina*, seu *murrhina*, de qua Plinio itidem sermo, à *myrrha* nomen habet, mirum certè est, id ignorasse tot doctissimos, & vetustissimos Auctores, Varronem, Festum, Nonium, Pollucem, Athenæum, Hesychium, & alios, qui οἶνον μυρρίνην, seu μυῤῥίνην, La-

tinè *myrinam*,& *myrrhinam*, nunquam à myrrha, seu smyrna deriuarunt, vt ex testimoniis supra allatis liquet.

Gell. lib. 10. cap. 23. Halicar. lib. 2. antiq. Plin. lib. 14. cap. 13.

Deniq; murrhina fuit eiusmodi vinum, quod licebat etiam bibere mulieribus, vt ex Gellio constat; aliôqui nefas illis erat bibere vinum, vt idem Gellius, Dionysius Halicarnasseus, Plinius, & alij ostendunt. Nam vinum bibere, æquè erat capitale mulieri, ac adulterium cõmittere: murrhinam tamen bibebant fæminæ, imò adeò bibebant, vt propemodum solarum mulierum potus fuerit: quæ etiam illi nomen *murriola* imposuerunt: ideo autem bibebant murrhinam; quia non inebriabat.

Plin. lib. 23. cap. 9. Arist. lib. 4. meteor.

Mercur. lib. 1. var. lect. c. 17.

Quæ cum ita sint, non potuit Plinius per murrhinam intelligere vinum *myrrhæ odore* cõditum: sed vinum ex *myrto*, seu *myrta*: quod eius erat lenitatis, teste Plinio, vt nunquam inebriaret. Erat enim, vt de simili dulci vino dixit Aristoteles: *ὀνόματι μὲν οἶνος, ἔργῳ δ᾽ οὐκ ἔστιν*: *nomine quidem vinum, non autem re.* Vbi Aristoteles non de quouis vino dulci loquitur: certum enim est, quædam dulcia inebriare; atque adeò re ipsa, nõ solo nomine vina esse: sed loquitur de certo quodã dulcis vini genere, quod *protropum*, & *prodromũ* appellabant, mediæ inter vinũ verum, & mustũ, naturæ; quod inebriare nõ solebat: vt rectè obseruauit, & explicauit Medicorũ nostri æui summus Hieronymus Mercurialis. Quis autem dicat vinũ istud pretiosum, myrrha conditum, tam præstans, & potens, quod isti nobis apponunt, non inebriasse?

Vt igitur totam disputationem concludam, Plinij lectio cap. 13. vera, & germana est hæc: *myrtæ odore.* Et cap. 16. hæc: *ex myrta.* nisi, vt iam antea monui, malit quis, *myrti* &, *ex myrto*. Ex quo capite planum quoq; fit, Plinium non esse loquutum de murina, *παρὰ τὸ μύρον*, *ab vnguento*; ac proinde non esse probabilem illam lectionem; *myri*, vel *murini odore*, hoc est, *vnguentario*. Nam, cum cap. 16. eadem lectio sit constituenda, quæ decimoquarto; planè non esset vllus sensus, si quis ita legeret: *Aromatiten quoq; inuenio factitatum, non tantùm vnguentorum compositione, primò, vt diximus, ex myro, seu murino*, hoc est, *vnguento*, seu *vnguentario*. Quæ enim sententia huic orationi subesset?

Vnicus restat scrupulus. Nam Plinius errasse videtur, citando Plautum, quasi de myrto, vel myrrhina aliquid dicat in Persa, cùm tamen eò loci, ne verbum quidẽ de myrto, vel myrrhina Plautus faciat.

Sed facilè est hunc scrupulum eximere. Primùm enim multò magis vrgentur hac obiectione, qui lectionẽ illam *myrrhæ odore* sequuntur. Nam ne verbum quidẽ habet Plautus de myrrha in tota illa Comœdia, cui nomẽ Persa. Errauit ergò Plinius etiã ex istorũ sententiã.

Secundò, fortè Plinius pro illo, *struthea*, vel *coluthea*, legebat *murtea*.

Tertiò,

Tertiò, *struthea* sunt poma cotonea, seu cydonia, vt ex Plinio & Atheneo constat. Fiebat autem ex cydoneis vinum cydonites dictũ, vt docet Dioscorides, & Palladius, cuius vini etiam mentio fit apud Iurecoss. Ad hoc verò vinum præter cætera adhibebatur piper, vt docet idem Palladius. Cùm ergò, vt Plinius auctor est, veteres loco piperis vsurparint baccas myrti; seruusq; apud Plautũ, mulsum, & struthea sibi commisceri iusserit, visus est Plinio Poëta respexisse ad confectionẽ struthei, seu cydonij vini: ad quod piper, hoc est, baccæ myrti adhibebantur. Et propterea, vt confirmaret Plinius id, quod dixerat, laudatissima apud Priscos fuisse vina, *myrtæ odore* condita, nominauit illum locum ex Persa Plauti, vbi sine dubio ex communi more illorum temporũ, intellexit Plinius, seruum illum commentitio coquo præcepisse, vt ad vinum factitium, quod parare iusserat, adhiberet *myrtam*; quamuis & calamum addi iubeat. Aromatiten enim primùm fecerunt *ex myrta*, mox ex *nardo Celtico*, & calamo, vt ait Plinius.

Plin. lib.15.c.11. & lib.23.c.6. Athen. lib.3. Diosc. lib.5. c.29. Pallad. in Octob. Tit.20. L.5. quis. ff. de trit. vino vel oleo legatis. Plin. lib.15. cap.29.

Fortè etiam omnis potus factitius murrhina à myrto nominabatur, generali saltẽ appellatione, quod indicare videtur Hesychius, cùm ait: murrhinam dici à quibusdam *πότον ἐσκευασμένον, potum arte præparatum*. Cum igitur seruus ille Plautinus de potu sibi per artem præparando egerit; iure potuit Plinius potum illum murrhinam existimasse, & à myrto denominatam esse, cogitasse.

Forsan Plauti locus, vt hodie legitur, in morbo cubat. Id Criticorum nonnullis persuasum, qui reponunt; *commisce murrham*. Siue; *Colutheaq; myrrhina*. Felicius, opinor, sanaretur Plautus, si vllo hic vulnere laborat; si rescriberetur. *Commisce, myrtam*, seu, *myrtum*.

Quod si quis omninò contendat, Plinium memoria lapsum esse, & ad id, quod instituerat probandũ, nempe vinũ *odore myrtæ*, condiri solere; nõ rectè adduxisse Plauti testimonium ex Persa, is nõ euertet propterea illa, quę de lectione, & sensu Plinij disseruimus. Mens enim, & sententia Plinij spectanda est: nõ illud, quo assertionẽ suam probat: licet alia testimonia, quæ tum ex Plauto, tum ex aliis adducit, rectè confirment id, quod Plinius ostendere volebat, videlicet laudatissima apud Priscos fuisse vina *myrtæ odore* condita.

Ex his, quæ hactenus copiosè, de antiquorum murrhina disputauimus, perspicuè elucescit: Christo Domino huiusmodi vinum non fuisse præbitum: cum vinũ Saluatori oblatum vocetur ab Euangelista *ἐσμυρνισμένον*. At veterum murrina neque vocatur, neq; vocari potest *οἶνος ἐσμυρνισμένος*, quamcunq; demum ex quatuor supra explica-

 tis

tis ſententiis de murrina ſequamur: quandoquidem murrina cum myrrha penitus nihil commune habet, præter vnicam nominis affinitatem: ex qua non magis probare licet, murrinam eſſe à myrrha planta, quàm myrrhiten lapidem, vt ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis ſuperque demonſtratum puto. Omnia enim collabuntur, quæcunque inani conatu, ſupra non intellectam murrinam, quaſi à myrrha deductam, exſtruunt: vt proinde, ſuperuacaneum ſit longiore oratione confutare ſententiam, quæ iam nullo impellente, corruit: cum ne παρὰ τὸ μύρον quidem appellare liceat vinum ἐσμυρνισμένον, ſed μεμυρισμένον, quaſi dicas, *vnguentatum*. Aliud enim eſt μυρίζεσθαι, quod verbum proprium vnguentorum eſt, vt docet Pollux; aliud autem σμυρνίζεσθαι, quo verbo vſus eſt S. Marcus.

Pollux lib. 6. c. 19.

Dum hæc relego & recognoſco, vt typographo tradantur, oblatus eſt mihi Theodorus Marcilius in Leges XII. Tabularum, qui ad legem illam: *Muratam potionem mortuo ne indito*: Diſputat contra Mercurialem, negantem, Murrhinam fuiſſe vinum: Plinioque crimini dantem, quòd ſecus ſenſerit: cenſueritque, vinum myrrha conditum, potuiſſe effici dulce; cum myrrhæ amarities omnibus explorata ſit.

Mercur. lib. 5. Var. lect. cap. 1.

Quod ad murrhinam attinet, rectane an obſtipa ſit Mercurialis opinio, nil neceſſe dicere, quia ex ſupra dictis ſatis omnia liquent: fuiſſe enim vinum factitium non grauatè Marcilio aſſentior.

De myrrha adſtipulor Mercuriali. Rectè vidit, vinum dulce ex myrrha non poſſe confici, licet non viderit Plinij locum mendo inquinatum, & pro *myrrha*; *myrtam* ſeu *myrtum* reſtitui debere.

Ait Marſilius. *Vellem* (Mercurialis) *oculis vſus in Plinio ſuis fuiſſet. Nam patet Plinij capite illo, vinum ſic murra conditum, vt odor quæreretur, non ſaliua murræ.* Sed non video nodum quem Mercurialis nexuit, hoc reſponſo diſſolui, nam Plinius non tantùm agit de vino odorifero, ſed & de dulci, vt patet ex Plauti teſtimonio, quod adfert, & ex verbis, quæ ſubiicit. *Quibus apparet, non inter vina modò murrhinam, ſed inter dulcia quoque nominatam.* At vt vinum ex iniecta myrrha gratum odorem contraxerit, vel contrahere poſsit; attamen dulcedinem contrahere non poteſt, cum myrrha ſit amariſsima: ſed Plinius ſuam illam myrrhinam, de qua Plautus & Dorſennus, ponit inter dulcia: non igitur à myrrha, ſed à myrta ſeu myrto, quæ non tantùm eſt odoratiſsima, ſed & ſapidiſsima, vt ſupra ex Plinio docuimus; ſuam illam myrrhinam deduxit.

Nec eſt, quod quis dicat; lachrymam myrrhæ inditam vino, non effeciſſe illud amarum, ſed tantummodo ſuaueolens, quia vel parum

vel

vel multum myrrhæ fuiſſet impoſitum. Si parum; nil boni odoris olfactui conciliaſſet; aut ſi conciliaſſet, tantundem quoque amaroris peperiſſet guſtatui, cum qualitates iſtæ in myrrha ſe mutuò comitari ſoleant; neque vna refringi, alterâ exſtinctâ. Si autem multum, tunc euidentius eſt amaritiem ſeiungi non potuiſſe. Si ſeiungi nequiit, quomodo Plinius murrhinam dulcibus accenſuit?

CAPVT XIV.

Refelluntur alia argumenta, quæ pro vino myrrhato afferri poſſent.

QVI vinum myrrhatum dulce & iucundum fuiſſe defenderet, is fortaſſe veriſimilius ratiocinaretur, ex natura aromatum & vnguentorum, quæ, vt ſuperius vidimus, vino, voluptatis cauſa, affundi ſolebant. Ad omnia enim propemodum vnguenta adhibebatur myrrha, vt colligitur ex Dioſcoride, Plinio, & aliis. Quin, pleraq; vnguenta appellabantur Aegyptia, propterea quòd ibi myrrhæ eſſet copia; docet hoc Galenus. Quin & Syria ob myrrhæ copiam, inquit Athenæus, omnia prorſus vnguenta optima præbebat.

Dioſc. lib. 1. c. 51.
Plin. lib. 13. c. 1.
Galen. in expoſit. Voc. Hippoc.
Athen. lib. 15. cap. 15.

Præterea Plutarchus citat Ariſtotelem teſtificantem, vnguenta propter myrrham præcipuè expetita fuiſſe. *Ariſtoteles enim affirmat,* inquit Plutarchus, *vnguentorum ſuaues fragrantias non minus ad ſanitatem facere, quam ad voluptatem; quod ea cerebrum natura frigidum, & ad concretionem procliue, ſenſim ſuo calore, & lauitate relaxent. Id quoque ad rationem cauſæ reddendæ nonnullum affert teſtimonium, quod myrrham Ægyptij Bal nominant; quæ vox, ſi interpreteris, delirationis ſignificat amolitionem. Kyphi porrò miſtura ſedecim rerum in vnum compoſitarum, mellis, vini, vuæ paſſæ, cyperi, reſinæ, myrrhæ, aſpalathi, ſeſelis, iunci odorati, bituminis, folij ficulni, rumicis, iuniperi vtriuſque (duas enim nominant, maiorem, & minorem) cardamomi, & calami. Has autem ſpecies non temerè componunt, ſed ſeplaſiariis, dum iſthæc miſcent, ſacræ recitantur literæ, &c. Itaque cyphi ſuauem emittit, vtilemq; exhalationem, &c. Kyphi porrò Ægyptiis etiam ad bibendum temperatur. Potum enim, videtur ob vim molliendi ſuam, interiora purgare.*

Plutarch de Iſide.
De Kyphi lege Dioſcor. lib. 1. cap. 24.

De vnguento Aegyptio ita Theophraſtus: τὸ δὲ Αἰγύπτιον μύρον ἐκ πλειόνων, ἐκ δὲ τῦ κινναμώμυ, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων. *Ægyptium autem vnguentum ex pluribus, cinnamomo ſcilicet, myrrha, atque aliis.*

Theophr. lib. de odor.

Ad hæc μύρα, hoc eſt, *vnguenta*, videntur Aeolibus dediſſe occaſionem, vt σμύρναν appellarent μύῤῥαν, quaſi μύραν, ea ſolùm de cauſa, teſte Athenæo, quod τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο. καὶ ἥγε στακτὴ καλου-

Athen. lib. 15. cap. 14.

μύρν διὰ μόνης ταύτης. *Quod multa vnguenta ex myrrha prepararentur, & id, quod stacten vocant, ex hac sola.* Hinc μεμυρισμένα, vel ἐσμυρισμένα, *vnguento perlita*, videntur dicta, quasi ἐσμυρνισμένα; seu vt ab Aeolico nomine μύῤῥα, verbum itidem Aeolicum formemus μεμυῤῥισμένα, *myrrha peruncta*, quod verbum in hoc versu fortè vsurpauit Archilochus,

Apud Athen. lib. 15. In fragmento quod edidit Canter. lib. 3. Var. lect. c. 31.

——————μεμυῤῥισμένας κόμας,

Καὶ στῆθος, ὡς ἂν καὶ γέρων ἠράσατο.

Vbi Canteri editio, ἐσμυρισμένας. Cum enim dixisset Athenæus, Archilochum primum omnium vocabulum μύρον vsurpasse, idque probasset hoc eiusdem versu;

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφετο.

idipsum ostendit deinceps ex versu superiore, subiungens: μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' αἰολεῦσι: *Apud Æoles myrrha vocatur smyrna:* quòd plerisque μύροις, seu vnguentis admisceretur. Oportuit igitur versu præcedente mentionem factam esse τῆς μύῤῥας αἰολικῆς, quod fieri nequiit, nisi verbo ab hac Aeolica voce formato. Nam σμυρίζω non est à myrrha Aeolica, sed μυῤῥίζω: nisi quis dicat, Athenæum, per vocem ἐσμυρισμένας probare voluisse Archilochum non modò vocem μύρον, seu, vt alij scribunt, μῦρον, primum vsurpasse, sed etiam primum omnium verbum σμυρίζω (vnde Germanis schmirben) inde formasse. Sed quæ postea erit ratio sequentium verborum? μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' αἰολεῦσι, si nulla *myrrha*, aut verbi inde deducti facta est mentio, sed solius μύρου?

Verumenimuerò quidquid sit de his, certum est, neq; ipsum vnguentum, in quo erat myrrha, neq; vinum, cum quo vnguentum miscebatur, à *myrrha* nomen accepisse. Non vnguentum: quia, vt ex Dioscoride & aliis, patet; vnguento amaracino, malabathrino, nardino, cinnamomino, metopio, narcissino, crocino, & id genus aliis, additur myrrha, & tamen non vocantur ἐσμυρνισμένα, vel σμύρνινα; vel, vt ab Aeolico μύῤῥα, fingamus adiectiuum, μύῤῥινα, sed diuerso quæque nomine insignita sunt. Ergo neq; vinum isto vnguento infectum, rectè ἐσμυρνισμένον, vel σμυρναῖον, vel σμύρνινον, vel μύῤῥινον dici potest. Nec refert, quod Poëtæ Græci celebrẽt ἐσμυρνισμένας κόμας, vt & Horatius *myrrheum crinem*. Loquuntur enim de capillo myrrha, seu lacrymis myrrhæ seu stacte, grati odoris gratia, perfuso, non de vnguento, in quo myrrha sit quasi pars integrans & componens, totumque vnguentum de nomine suo denominans.

Athen. lib. 15. cap. 15.

** χρίσματα.*

Nec illud nobis officit, quod Athenæus vnguentum myrrhatum ad potum idoneum, affirmare videtur his verbis: ἱκέσιος δ' ἐν δευτέρῳ περὶ ὕλης τῶν μύρων φησὶν τὰ μέν ἐστι * χρίματα, τὰ δὲ ἀλείμματα, καὶ ῥόδινον μὲν πρὸς πότον ἐπιτήδειον, ἔτι δὲ μύῤῥινον, μήλινον. *Hicesius libro secundo de materia vnguentorum,*

torum, inquit; alia sunt vnguenta, alia pigmenta. Et rosaceum quidem maximè idoneum est ad potum, sicut & myrrhinum, & melinum: non enim appellat *myrrhinum,* à myrrha, sed παρὰ τὴν μυῤῥίνην, seu μυρσίνην, *à myrto.* Hinc & Canteri fragmētum rectè habet μύρτινον; myrteum enim vnguentum, vt & vinum, fit ex foliis, & baccis myrti: non *myrrhatum*: cùm præter stacten, ex sola myrrha nullum vnguentum fiat, vt Plinius asserit: nullusque tradat ex foliis myrrhæ aliquid confici: & ipse Athenæus, vnguenta, quibus plusculum myrrhæ inest, à potu arcet ob amarorem, commendatque potissimùm, tanquam apta ad potum, *sampsuchinum, & serpillinum, & crocinum,* in quo parū myrrhæ. τὸ χωρὶς σμύρνης πολλῆς, inquit: & eandem ob causam nardinum, & stacten. Καὶ ἡ στακτὴ, inquit, ἐπιτήδειος πρὸς πότον. *Stacte ad potum apta.* De qua ita D. Basilius: ἡ δὲ στακτὴ, καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος, τὸ λεπτότατον. ἐκθλιβέντος μὲν γὰρ τοῦ ἀρώματος, ὅσον μὲν αὐτοῦ ῥυτὸν, εἰς τὴν στακτὴν ἀπομερίζεται, τὸ δὲ παχὺ ἀπομένον σμύρνα προσαγορεύεται. *Stacte quoque species tenuißima myrrhæ est; expresso enim aromate, quod eius est liquidum, id stacte censetur: quod verò crassum remanet, id myrrha appellatur.*

S. Basil. in Psal. 44.

Aliter paulò Theophrastus: Ἐκ κινναμώμου, inquit, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ, στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. *Ex cinnamomo, & myrrha incisa oleum fluit, quod stacte, quasi stillaticium, dicitur, quia paulatim stillet.* Plinius dicit, stacten esse illud, quod sudatur sponte, priusquam arbores myrrhæ inciduntur.

Theophr. lib. de odor.

Plin. lib. 12. c. 15.

De stacte Theophrastus: ὃ δὴ μόνον τινὲς φασὶν ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων, τὰ δ' ἄλλα πάντα σύνθετα. *Quam solam & vnicam simplex & incompositum vnguentum esse, nonnulli tradunt; cætera verò omnia, composita.* Videtur suffragari Plinius cum ait: *Myrrha & per se vnguentum facit sine oleo, stacte duntaxat:* tametsi paulò antea dixerat; *singuli quoque succi nobilia vnguenta faciunt. Inprimis malabathrum, postea iris Illyrica, & Cyzicena amaracus:* licet alij aliter hæc Plinij verba intelligant, inque eo perstent, quod illi apud Theophrastum affirmant; *solam stacten* esse vnguentum simplex; reliqua omnia composita. Distinguit & Varro vnctionem per myrrham ab illa, quæ fit per vnguenta. *Magistratus myrrha vnguentisq; vngetur:* quia vnctio per vnguenta propriè compositionem: illa per myrrham propriè simplicitatem denotat, siue vnctio hæc fiat per stacten, quę & ipsa vnguenti, sed simplicis, nomen sortitur; siue per myrrham, hoc est, crassiorem myrrhæ lacrymam. Huius enim vsum in vnctionibus, & grato odore conciliando fuisse, planum fit ex sacris & ex profanis scriptoribus: nominatim Psal. 44. vbi nos: *myrrha & gutta & cassia à vestimentis tuis, &c.* vbi Hebræis est *Mor,* ad verbum, *myrrha:* & loco *gutta* seu *stacta,* Hebræi habent, *ahaloth,* quod nōnulli vertunt *aloën.* Iunius & Tremelius, *santalin.* Sed potior nobis esse debet septuaginta

Plin. lib. 13. c. 1.

Vide notas Dalechamp. ad c. 1. lib. 13. Plinij.

Inter-

Interpretum *stacte*; & gutta nostri Interpretis. Quare, cùm legimus apud LXX. interpretes Hesterem ad Assuerum introducendam, *σμυρ-νίνῳ ἐλαίῳ*, *myrrhino Oleo*; fuisse perunctam, de stacte accipiendum est: vel simpliciter pro lacrymis myrrhæ. Nam & his, cùm odoratissimæ sint, grati odoris causa, sese perfundere poterant. Etsi Latinus interpres transtulit *oleo myrtino*. Hebraicè tamen est, *oleo myrrha*, hoc est, myrrhino.

Hest. 2.

Cùm igitur stacte sit fructus myrrhæ, imò, vt Dioscorides ait, *pinguitudo recentis myrrhæ*, & ad pótum admodum idonea, dicere oportet, eam præter naturam eius, quæ propriè myrrha dicitur, dulcem esse, vel certè minus amaram, quàm myrrham. Ex hoc igitur myrrhæ genere suspicari quis fortasse posset, fuisse illud vinum *myrrhatum*, de quo Marcus Euangelista.

Diosc. li. 1. c. 62.

Sed obstant argumenta ea, quæ iam suis locis attulimus; & illud, quod *myrrha*, & *myrrhatum* absolutè posita, non soleant accipi pro *stacte*, sed pro illa lacryma myrrhæ crassiore, quæ ob suam amaritiem, nisi pauxillum duntaxat adhibeatur, potui inepta est. Hinc myrrha & stacte etiam in sacris literis, distingui solent, vt apud B. Dauidem: *σμύρνα, καὶ στακτὴ, καὶ κασία ἀπὸ τῶν ἱματίων σου. Myrrha, & stacte, seu gutta, & casia, à vestimentis tuis.* Et S. Basilius loco supra citato, à smyrna seu myrrha, stacten apertè separat. Dices: Myrrhæ odorem fuisse gratissimum, & iucundissimum: quod etiam ex sacris literis compertum est. Hinc illud in Cantico: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus.* Item apud Ecclesiasticum: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Ergo etiam vinum potuisse ex myrrha gratissimum, & iucundissimum confici. Respondeo: potuisse inde confici vinum gratissimum olfactui, non gustatui: naribus, non palato. Non est quæstio, vtrum, si vino iniiciatur myrrha, vinum inde gratum odorem contrahat? sed, vtrum gratum saporem. Nec quæstio est, num vinum myrrhatum fuerit odoratum: sed num fuerit dulce, & bibitu gratum, vt volunt auctores contrariæ sententiæ. Nam ex re amara, qualis myrrha, non nisi amara potio efficitur: præsertim si sola iniiciatur potui: ipsique etiam appellationem tribuat, vt in proposito accidit.

Psal. 44.

Cant. 1.

Eccles. 24.

CAPVT

CAPVT XV.

De aceto Saluatori in Cruce oblato.

QVIS potus Domino iam in cruce pendenti oblatus sit, ita recenset S. Ioannes: *Postea sciens* IESVS, *quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Hæc ille.

Ioan. 19.

Circa quæ verba duo potissimũ examinanda occurrunt. I. Quomodo acetum Christo porrexerint? II. Quo fine? Modum videtur explicare S. Ioannes his verbis: *spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes.* S. Matthæus, & Marcus spongiam dicunt impositam, seu circumpositam καλάμῳ, quod Interpres apud Marcum, retinuit: apud Matthæum substituit in eius locum latinam dictionem *arundini.* Ergo, quod Matthæus, & Marcus *calamum*, seu *arundinem* appellant: hoc sanctus Ioannes, quorundam iudicio, speciali nomine *hyssopum* nominauit, significans calamum illum, cui imposita spongia, fuisse ex hyssopo.

Si quis obiiciat, hyssopum esse herbam humilem, & fragilem, ac proinde caulem eius tantæ non potuisse esse altitudinis, & firmitatis, quanta requirebatur ad hoc, vt spongiæ ad os crucifixi applicandæ inseruiret: Respondent: hyssopi calamum in illis regionibus altiorem, & firmiorem esse, quam apud nos, neque altitudinem Crucis tantam fuisse, vt opus esset arundine longissima.

Ab hac opinione non videtur multùm abire illa Magnetis vetustissimi scriptoris Ecclesiastici lib. 2. & 5. contra Theosthenem Gentilem, Euangeliorum discrepantiam, & alia nobis falsò in Euangelio obiicientem, vbi ita scribit: *Pro eo, quòd vnus Euangelista dixit, calamo spongiam circumponentes, dixisse alium propter similitudinem arbusti, hyssopo circumponentes, cùm dicendũ, inquit, esset calamo. Item, quod vnus Euangelista dixit, vinum, rursus dictum esse acetum in cruce, (ex eodem enim vase posito hauserunt, cùm peruentum est ad Caluariam, & in cruce) præsertim, inquit, cùm legem historia Euangelistæ seruarent; nihilq́ ultra scriberent, quàm quod tunc dicebatur in illo tumultu, ac furore. Sic enim existimarunt fore, vt historia omni suspicione careret:* οἱ μὴ περιεργάζοιεν, ἀλλ' ἄπλαστον εὑρεθείη τῆς ἱστορίας τὸ γράμμα, *id est, si litera historia non curiosa, sed simplex reperiretur.* Vult ergo Auctor iste hyssopum pro calamo seu arundine à S. Ioanne positam. Vbi obserua eundem Magnetem existimare, Christo ante crucifixionem cum ad Caluariæ montem peruentum est, & postea in Cruce ex eodẽ vase potum fuisse porrectum; quod non improbabile, præsertim si apud Matthæum,

Apud Turr. lib. 2. contra Magdeburg. cap. 3.

legatur, acetum felle mixtum. Sed ipsemet Magnetes legit *vinum*. Quanquam & hoc vinum felle mixtum rectè à Ioanne acetum dici potuit, reque ipsa dictum esse Magnetes defendit: licet forsan verisimilius sit acetum, de quo S. Ioannes Christo iam in cruce pendenti præbitum, ex vase distincto haustum esse.

Hæc tamen prima opinio, quibusdam non placet, quia hyssopus, vbicunque crescat, etiam in Iudæa, nil nisi hyssopus est, hoc est, herba humilis. Quare scriptura Salomonem de omnibus plantis disputasse narrat, à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete. Vbi hyssopus pro minima herba ponitur, opposita procerissimis Libani Cedris.

3. Reg. 4.

Alij dicunt spongiam hyssopo circumpositam fuisse, id est, arundini circumligatam hyssopi herbâ, tanquam vinculo quodam: vt, hyssopo, sit sextus casus, non tertius, atque adeò Ioannes subticuerit calamum, seu arundinem, tantumque nominarit id, quo spongia arundini est circumligata.

Alij ab his non multum discrepantes aiunt, hyssopi herbâ circumuolutam fuisse spongiam, ita vt spongiam circumplecteretur hyssopus, eamque inuolueret: & sic impositam calamo, & ori Christi oblatam esse.

S. Aug. tract. 119. in Ioan.

S. Augustinus significare videtur, hyssopum fuisse circumdatum spongia; non hyssopo spongiam.

Alij his reiectis, tradunt, acetum illud fuisse hyssopo permistum, & conditum, sicque ex aceto, & hyssopo spongiam imbutam, & arundini affixam, Christique ori admotam esse. Quod ex his verbis Græcis liquere aiunt: σκεῦος ἔκειτο ὄξους μεστόν, οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι.

Eandem sententiam insinuare videtur S. Augustinus his verbis: *Pro suauitate fidei acetum perfidiæ dederunt, & hoc in spongia. Sanè ille potus habebat & hyssopum: quæ humilis herba radice fortissima dicitur petræ inhærere. nouerat eos ipse, qui hyssopum cum aceto accipiebat.* Ita S. Augustinus. Nonnus in Ioan. cap. 19.

S. Aug. serm. 76. de diuers. Non paraphr. Euang. S. Ioan.

Σπόγγον ὑποβρυχίων ἀδύτων βλάστημα θαλάσσης
Πλήσας δριμυτάτοιο ποτοῦ, καὶ διψάδος ἅλμης
Ἰθυπόρου καλάμου παρ' ὑψίατον ἄκρον ἐρείσας,
Ὤρεξεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ἀλείφειν.

Spongiam subriguorum penetralium germen maris
Quum implesset acerrimo potu, & siticulosa muria,
Et quum affixisset ad extremam summitatem
Rectà procedentis arundinis,

porrexit

Porrexit acetum exin ij permistum hyssopo. Paulò pòst:

Ἀλλ' ὅτε πικρὸν ἔδεκτο ποτὸν, καὶ δίψιον ἅλμην.

Sed cùm amarum accepisset potum, & sitibundam salsuginem.

Quod ad verba Græca Euangelistæ attinet, quæ isti pro se adducunt, ea potius destruunt, quàm adstruunt, dictam opinionem. Illa enim, πλήσαντες σπόγγον ὄξυς, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες; *cum impleuissent spongiam aceto, & hyssopo circumposuissent*: nihil minus significant, quàm acetum fuisse conditum. Quis enim dicat, spõgiam aceto impletam circumponere hyssopo, esse, *acetum hyssopo miscere?* Si dixisset Euangelista: κεράσαντες, seu μιγνύντες, tum aliquid probabilitatis huic sententiæ accessisset: imò, & tunc, si dixisset: ὕσσωπον περιθέντες, *hyssopum circumponentes.* Potuisset enim intelligi de circumpositione, quæ fit condiendo, & miscendo vndique in omnem partem.

Denique aut περιθέντες ὑσσώπῳ, *circumponentes hyssopo*, hîc non idem erit, quod *miscere*, & *condire* acetum hyssopo: aut, si idem est: tunc apud S. Matthæum, & S. Marcum περιθεὶς καλάμῳ, *calamo circumponens*, idem erit, quod *condire acetum calamo*, seu *arundine*. Idem enim verbum est apud hos, & apud S. Ioannem: & de eodem aceto omnes loquuntur: nisi quod Marcus, & Matthæus vnum tantummodo hoc fecisse memorant, Ioannes; plures.

Ergo, omnibus consideratis, nulla videtur melior sententia, quàm secunda: licet, neque prima omninò displiceat: præsertim, si quis dicat, S. Ioannem speciali hyssopi nomine intellexisse generatim calamum, seu arundinem. Quod quibusdam apud Theophylactum visum est, de quibus ille, hæc: Καὶ τὸ ὕσσωπον πρόσκειται, ὡς δηλητηριῶδες. τινὲς δὲ ὕσσωπον φασὶν ὀνομάζεσθαι τὸν κάλαμον. ἡ γὰρ τοῦ καλάμου κόμη τοιαύτη. περιέθηκαν τοίνυν καλάμῳ τὸν σπόγγον, διὰ τὸ ἐπὶ μετεώρου εἶναι τὸ στόμα τοῦ Ἰησοῦ. καὶ οὕτως ἡ προφητεία ἐπληρώθη. *Adest hyssopus, vt venenatum quiddam. Nonnulli dicunt; ipsam arundinem hyssopi nomine appellatam. Talis enim est arundinis vertex. circumposuerunt ergo spongiam calamo, quod Christi os in sublimi esset. Et sic prophetia impleta est.* Certè Magnetes, Auctor antiquissimus palam ita sentit, vt suprà vidimus.

Quod si quis omninò contendat id nominis propriè à D. Ioanne vsurpatum, is dicat, hyssopi caulem aliquando in satis iustam longitudinem excreuisse illis in regionibus: neq; id vel Dioscoridem, vel Plinium negare; neq; illud scripturæ, de Salomone dictum obstare. Scripturam enim non attulisse hyssopum tanquam minimam vel plantam, vel herbam, cùm certum sit, reperiri plãtas, & herbas longè minores hyssopo, sed facta mentione cedrorum, & hyssopi egredientis de pariete, voluisse significare accuratissimam Salomonis dili-

gentiam, qui non modò nobiles plantas, & arbores, quales Cedri, disputationibus suis persequutus sit, sed ne vulgares quidem, & passim obuias, qualis hyssopus, prætereundas esse putarit. Hoc autem non obstat, quo minus interdum hyssopus caule satis grandi progigni potuerit: maximè cùm arundinem illam, qua Christo spongia oblata est, non oportuerit esse longissimam.

De causa, cur acetum Redemptori nostro oblatum sit, nihilo magis consentiunt. Alij dicunt; vt citius moreretur. vulneratis enim valdè nocere acetum. Hoc fine, semper ad cruces in promptu fuisse acetum.

Huic sententiæ repugnare videtur experientia, quia olim militibus potus erat acetũ, & multis eduliis vnicum acetum gratiam conciliat. Videmus etiam fuisse & esse, qui sese aliquantulum refocillare, & stomachum confirmare cupientes; panem, vel si quid aliud suppetit, in acetum intinctum commanducent: vt proinde non immeritò ille, quisquis est, dixerit:

Vide Ruth. c. 2.

Et potu, & fotu stomacho conducit acetum.

Idem acetum ægris, & quos animus linquit, spiritus reparat, viresq; addit: vulneribus inditum, medetur, venenatisq; serpentium, & aliorum animalium ictibus salutare est. Præterea, quomodo tantillum aceti, quantum à Christo, vel à quouis alio crucifixo sugi potius, quàm bibi potuit, mortem accelerasset, etiamsi alioquin acetum eius naturæ esset, vt toto corpore sauciis finem celeriorem dolorum afferret?

Vide Diosc. lib. 5. c. 17.

Alij, contrà putant, ideo datum acetum, vt vita productior, & diuturnior crucifixis esset. Acetum enim, præsertim hyssopo conditum, habere vim sistendi sanguinis, & quod hinc est consequens, vitę producendæ; idque confirmatur aliquot testimoniis Plinij.

In hac sententia primùm falsò sumunt eius patroni, acetum fuisse hyssopo conditum. Hoc enim repugnat verbis Euangelistæ, vt supra vidimus. Deinde, vt maximè conducat acetum, siue solùm, siue hyssopo conditum sistendo sanguini, quando vulneribus ipsis vel infunditur, vel applicatur, vel etiam bibitur: quis tamen non videat, hanc vim minimè posse tribui aceto, cùm eius pauxillulum è spongia sugitur potius, quàm bibitur, vt in nostro proposito accidit? Scilicet aceti hoc tantillum cohibere poterat sanguinem vbertim ex sacratissimis manuum, pedumq; fixuris, aliisq; vulneribus manantem, Iudæisq;, & Romanis militibus curæ fuit, vt sanguinem in eius visceribus continerent, cuius corpus flagellis atrocissimè conciderant; manusq;, & pedes trabalibus clauis transfixerant; omnesq; vias sanguini patefecerant.

Acce-

Accedit, quod Euangelistæ potus causa acetum Domino oblatum scribunt, non vt vulnera coalescerent, sanguinisque profluuium cohiberetur. Liquet idem ex veteri illa Prophetia: *In siti mea potauerunt me aceto.* Neque prius porrexerunt acetum, quàm Christus sitim in cruce professus, dixisset, *sitio.* Ergò, sitis sedandæ, non sanguinis sistendi causa, acetum obtulerunt.

Psal. 21.

Quæ est igitur vera super hac re sententia? Ista, nisi fallor, acetum Domino ex odio, quo milites, & Iudæi in eum ardebant, oblatum esse, sicut ante crucifixionem vinum myrrhatum & felle mistum. Cùm enim aliis damnatis ante supplicium præberetur vinum gustui gratum, & iucundum: Christo, qui nostri causa *opprobrium hominum, & abiectio plebis*, factus erat, contrarium omninò euenit, vt, qui derelictus ab omnibus, consolationem quæreret, nec tamen reperiret; vt, reuera non reperit, cùm, qui sitim aquâ vel vino exstingueret, nullus esset: sed per summam inhumanitatem, & barbaram crudelitatem sitienti acetum offerrent. Hoc ipsum satis indicauit S. Lucas: *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum ei offerentes, dicentes: si tu es Rex Iudæorum.* Igitur illusionis causa, quasi sitienti potum daturi, obtulerunt acetum, non vt sanguinem sisterent. Eadem sententia fuit D. Cyrilli; *Pro iuuante, & iucundo potu, nocentem, & acerbum attulerunt, & humanitatem, qua moueri videbantur, in impietatem conuerterunt; nam, cum petenti dabant, charitatis habitum suscipere videbantur.*

Psal. 21.

Luc. 23.

S. Cyrill. lib. 12. cap. 35.

At iure quærat quis, cui vsui *spongia & vas aceto plenum* fuerit, si non erat in potum. Respondemus: Spongias abstergendo sanguini ex vulneribus clauorum mananti præparatas fuisse. Huic enim vsui spongias cumprimis esse idoneas, nemo ignorat. Credibile autem est milites & se, dum clauos in manus adigerent, & ipsas crucifixorum manus, ob transfixionem nimio cruore oblitas abstersisse, qua licuit, & in hunc finem spongias in promptu habuisse. Testatur illustrissimus & omnium præconiis merito suo celebratissimus Card. Baronius, ex oculatorum testium relatione, in spongia, qua Dominus potatus est, quæque adhuc Romæ in Basilica Lateranensi asseruatur, apparere ruborem quendam, quasi aliquando fuisset sanguine tincta. Nam quod spongiis Christi vulnera benignè fouerint, vel ea conglutinare voluerint, quos vsus spongiæ Plinius tradit, id vt credamus, non permittit Iudæorum in Christum truculenta ferocitas: neque crucis supplicium id vt nobis persuadeamus, finit. A nullo enim proditum est, hoc fine crucifixis spongias admotas. Et quid opus erat fouere spongiis illorum vulnera, qui iam certissimæ neci destinati erant?

De aceto,ita statuimus. Fuisse militum, qui Christum crucifixerunt,& aliorum, qui crucifixum custodierunt, potum: non purum & merum,sed aqua mistum. Nam milites acetum bibisse, non vnus veterum docet. Spartianus in Pescennio: *Iussit vinum in expeditione neminem bibere,sed aceto vniuersos esse contentos.* Cato Censorius, teste Plutarcho,aquam bibit in militia, excepto quod vehementi aliquando siti,acetum posceret. Vulcatius in Auidio. Vetitum militi, *præter laridum,buccellatum,atq; acetum in expeditione quidquam gustare.* Persius:

Plutar. in Cat.

Pers. sat. 4.

Pannosam facem morientis sorbet aceti.

Quamobrem non militum modò hic potus,sed & ipsorum ducum. Ad quem morem allusit Plautus cum de quodam; *Hic Rex cum aceto pransurus est,& sale.*

Nec tamen solum acetum bibebant,sed aqua temperatum,vt antea notauimus; quam potionem proprio nomine vocabant *posćam*, vt docet Lipsius. Suum igitur potum Christo sitienti obtulerunt milites,& fortè non mistum aqua,vt moris erat,sed purum, merumque acetum. Hoc enim conuenientius est D. Lucæ verbis, qui ait: illusionis gratia acetum à militibus Christo fuisse propinatum.

Lipsius lib. 5. de milit. Rom. dialog. 16.

CAPVT XVI.

Vasa murrhina non fuisse ex onyche.

HAE c de vino myrrhato,murrhinis & aceto in æstate anno 1597. scripseram,amicisque,cum aliis, quæ quinque libris de cruce continentur,legenda,& examinanda miseram. Interea dum meæ lucubrationes peregrinantur, incidi in Catalogum Francofordiensem proximè anteacti in autumno mercatus, qui præter cæteras nouas merces, habebat etiam libri cuiusdam titulum his ferè verbis conceptum. *Assertio de murrhinis aduersus quosdam, de iis minus rectè disserentes; Auctore Nicolao Guiberto Lotharingo D.*

Exarsi cupidine videndi libri. Iam enim, id quod res erat, præcipiebam animo. Tandem librum adeptus,cupidè eundem euolui: multaque de murrhinis præclarè, & eruditè disputata reperi. Nec tamen absterritus fuissem, quo minus hæc mea qualiacunque ad libros de S. Cruce adiicerem, quandoquidem neque infructuosum, neque iniucundum lectoribus esse solet, de eodem argumento diuersos audire, præsertim in disputatione tenebricosa, & cui nunc primùm aliquid lucis afferri cœptum est. Sed alia postmodum interue-

teruenit remora, quæ hanc meam lucubratiunculam huc vsque in Muséo detinuit. Qua sublata, nunc foras prodit; & cum Assertione clarissimi Doctoris Guiberti operam pro veritate tuenda iungit.

Licet autem vehementer probem doctissimi viri industriam, quam huic rei illustrandæ impendit; nescio tamen, quo pacto animus refugiat credere, quod ipse pro comperto habet; murrhinum lapidem eundem esse, cum ONYCHE: Statuit verò triplicem speciem onychis. Vnam, cui propriè nomen *onyx*, vulgò *corneola alba*. Alteram, quæ *onychites*, seu *chalcedonius*. Tertium, quæ *alabastrites*. Nam & huic nomen onychis Dioscorides dedit, vt & Galenus.

Diosc. lib. 5. cap. 110.

Galen. lib. 9. simpl. med.

Si quæras, ex qua onychis specie fuerint murrhina; respondet, fuisse ex prima, & ex secunda quoque, puriore tamen ac nobiliore, & eiusdem ferè cum onyche gemma generis ac naturæ. Nec aliter probat hanc opinionem, quam auctoritate Georgij Agricolæ, qui ita sentit.

Agric. lib. 6. de fossil.

Hanc sententiam, ne ipse quidem Guibertus negauerit, nisi fallor, repugnare Plinio: quo magistro, scimus, quidquid ferè de murrhinis scimus. Nam Plinius diuersis locis, & capitibus de murrhinis agit, & de onyche, prima illa, & primaria specie. De illis enim disputat cap. 2. lib. 37. De hac; cap. 6. eiusdem libri. Nec murrhina nominat onychen, vel onychiten, neque vllam dat significationem se onychen, & murrham, seu murrhina pro eôdem habuisse: imò, aggressurus explicationem onychis, absoluta sardonyche, ita præfatur: *Exponenda est & onychis ipsius natura propter nominis societatem.* Si iam superius onychis naturam explicarat, sub nomine murrhinorum, quid opus erat cramben recoquere, actumque agere?

Secundò, notæ, quibus Plinius onychem, & murrhina describit, planè sunt diuersæ, non possunt igitur onyx & murrha eâdem specie censeri. Notæ murrhinorum sunt istæ: *Splendor his sine viribus, nitorq́; verius, quàm splendor: sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremq́; & tertium ex vtroq́; ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente: sunt, qui maxime in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent. Translucere quidquam aut pallere, vitium est: item sales, verrucæq́; non eminentes, sed vt in corpore etiam plerunque sessiles.*

Plin. 37. c. 2.

Vbi vides, murrhinis certas, constantesque notas attribui, non diuersas, ex diuersorum opinione. Quæ, nullo modo in onychem competunt. Sic enim de onyche Plinius ex variorum auctorum descriptione: *Sudines dicit in gemma esse candorem vnguis humani similitudine;*

Plin. lib. 37. c. 6.

item

item chrysolithi colorem, & sarda, & iaspidis. Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, interuenientibus quarundam oculis obliquis venis. Sotacus, & Arabicam onychem tradit, sed eam à cæteris distare: quod Indica, igniculos habeat, albis cingentibus zonis singulis pluribusúe, aliter quàm in sardonyche Indica. Illic enim momentum esse, hîc circulum? Arabicas onychas nigras inueniri candidis zonis. Satyrus carnosas esse Indicas, parte carbunculi, parte chrysolithi, & amethysti: totumq; id genus abdicat. Veram autem onychem plurimas, variasq; cum lacteis zonis habere venas omnium in transitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum suauitate grata. Hæc Plinius.

Quis non animaduertit alterius generis esse murrhina, alterius onychem, si quid diuersitatis in natura, ex diuersitate huiusmodi notarum, & characterum colligi potest? Nam, quod Guibertus ait; *Sardonychis speciebus, & gemmis onychinis quibusdam variegatis, torno politis, & elaboratis, indicia à Plinio murrhinis data conuenire posse.* id non soluit, sed nectit nodum. Nam vel ab arte, vel à natura conueniunt illis gemmis naturales murrhinorum notæ. Si ab arte; tunc non magis inde colligere possumus, murrhina, & sardonychas, & onychinas gemmas esse eiusdem speciei, quàm pauonem, & anserem, si fortè ars colores pauonis in plumas anseris induceret. Si autem à natura; tunc & sardonyx eiusdem speciei erit cum murrhinis, non tantum onyx: quandoquidem iisdem notis naturalibus insignitur, quibus murrhina. Si tamen ex conuenientia huiusmodi accidentium rectè concluditur conuenientia naturæ. Video enim conuenientiam externorum accidentium, præsertim coloris concedi posse, & negari conuenientiam naturæ: & vice versa; negari posse conuenientiam externorum accidentium, & concedi conuenientiam naturæ, vt proinde istæ argumentationes non sint admodum firmæ: *Murrhina & onyx non conueniunt in colore, aliisué nonnullis accidentibus: ergò sunt diuersæ speciei:* quanta enim dissimilitudo coloris, & similium accidentium inuenitur in eiusdem speciei animalibus; vt hæc ex multis nominem?

Tantundem valet hæc argumentatio: *Conueniunt in colore, & aliis quibusdam accidentibus, ergò sunt eiusdem speciei.* Nam lapis myrrhites myrrhæ colorem habet: aromatites myrrhæ colorem & odorem simul: myrsinites melleum colorem habet, myrti odorem, vt tradit Plinius: & tamen specie inter se differunt.

Plin. lib. 37. cap. 10.

Quia tamen vir eruditus ostendere nititur, conuenire onychen cum murrhinis, in notis, quas notauit Plinius: indeque specificam vnitatem, & conuenientiam concludit; ideo alij rectè contra nituntur, demonstrantq; notas illas à Plinio traditas non conuenire ony-

chi

chi: Et,quod hinc est consequens, non quidē absolutè, sed respectu antagonistæ; neq; in natura,& specie onychē,& murrhina cōspirare.

Cæterùm,vbi Guibertus vidit,arduum esse notas murrhinorum demonstrare in onyche,ad aliam solutionem sese confert; ait enim: *Repercussus illorum colorum, quos in murrhinis, maximè à quibusdam laudari tradit Plinius,in murrhinorum materia haud reuera fuisse, sed ratione nitoris potissimum apparuisse,velut in collo columbæ fieri solet, quod, prout diuersimodè spectatur,& mouetur sub solis splendore, sic varias, & diuersas colorum differentias facit.* Ita ille. Quæ Plinio nunquam in mentem venisse puto. Nam,illi *repercussus colorum*,erant in murrhinis, sicut & ipsæ extremitates, quas nonnulli,maximè vnâ cum illis repercusibus admirabantur:sed extremitates murrhinis inerant non tantùm imaginariè,& ex visus deceptione,sed verè; igitur & repercussus illi colorū verè erant in murrhinis; alioquin isti nunquam admirati fuissent sua murrhina, nisi ad solem exposita.

Nec refert; quod Plinius vocet *repercussus*, hoc est, resultationes quasdam colorum. Non enim significat, colores illos in murrhinis non fuisse,nisi ex reflexione luminis,vt fit in columbæ collo; sed naturâ ita fuisse comparatos, vt alius, ex alterius reflexione nasci videretur: quo pacto in picta quoque iride conformantur colores.Nec quod ait quosdam maximè admiratos esse hos *repercussus*; significat, eos non fuisse verè in murrhinis. Nam alij alia laudabant in murrhinis.quidam has colorum reflexiones; quidā maculas pingues: item sales,verrucasq; non eminentes: alij alia, licet omnia in murrhinis verè inessent; nisi fortè dicere velimus, illas etiam pingues maculas, præterea verrucas, sales, & similia, non fuisse verè in murrhinis, sed tantum iudicio aberrantium oculorum.

At enimuerò faciamus illos colorum repercussus verè non fuisse in murrhinis,sed tantum ex reflexione solis: cur, quæso, non apparent etiam ex luminis reflexione in onyche, & onychite, si nil aliud sunt, quam murrha seu murrhina? Nam si coruus columbus esset, vtique in eius collo appareret etiam ex repercusione varietas illa collorum. Quis autem est,qui se vnà cum aliis hos colorum reflexus in onyche,& onychite expertum affirmet?

Præterea onyx à similitudine, & æqualitate vnguis humani nomen habet. At murrhina secundum Plinium non fuerunt tam æquabilia,cum verrucas,& sales habuerint. Testatur item Plinius murrhina primùm in vrbē inuecta Pompeij triumpho. At quis credat, onychem nō prius Romanis fuisse cognitam,cum sardonyche iam olim vsus fuerit Africanus prior,vt idem Plinius auctor est.

Plin.lib 37.c 5.

Quod idem clarissimus vir Guibertus ait: *murrhina non modò fuisse ex onyche, sed & ex onychite*; Plinio directè etiam aduersatur. Plinius enim onychiten, quem ipse quoque onychem vocat, non distinguit ab alabastrite, rectené, an secus, non disputo. Nam cum sub finem cap.7.lib.36. de onychite verba fecisset, mox sequens caput ita auspicatur. *Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cauant ad vasa vnguentaria.* Quem hunc lapidem, nisi illum, de quo sub finem antecedentis capitis disputarat? quod bene etiam notauit doctissimus Plinij scholiastes Iacobus Dalechampius. Si igitur Plinius onychiten pro alabastrite habuit, vt reuera habuit; clarum, apertumque est, eum à Plinio tota via abire, qui murrhina asserit fuisse ex onychite: cùm iudicio Plinij alabastrites, lapisque murrhinus toto cœlo dissideant. Nam ex onychite visæ sunt columnæ, triginta duorum pedum magnitudine: at quis vnquam tantæ magnitudinis lapides murrhinos, vel vidit, vel audiuit, cum, vt Plinius ait, magnitudine paruos abacos nunquam excedant. Ex onychite fiebant item pedes lectorum, & sellę: at inauditum est, talia ex murrhinis fabrefacta esse, cum æquè fuerint fragilia, ac crystallina, vt Plinius prodidit.

Dalechamp. in cap.37. lib.36. Plin.

Repugnat præterea precium murrhinorum. Nunquam enim tam immane pretium onychitæ, vel alabastritæ fuit, quàm murrhinis, de quo abunde supra.

Cap.21.

Hæc argumenta ostendunt sententiam hanc non modò aduersari Plinio, sed simpliciter ipsi veritati, vt & hoc, quod nunc subiiciam. Scriptores opponunt sibi mutuò vasa murrhina, & onychina, non igitur fuerunt eadem. Opponit ea AElius Lampridius cum ait: Heliogabalum, mõstrum illud hominis, excepisse lotium vasis murrhinis, & onychinis. Item Arrianus, apud quem λιθία ὀνυχίνη, καὶ μυῤῥίνη legitur. *Lapis onychinus, & murrhinus.*

Lamprid. Heliogab.

Arrian. in Peri plo.

Respondet Guibertus, vasa murrhina fuisse ex onyche gemma, onychina verò ex onychite, hoc est, ex Calcedonio, aliquando etiam ex alabastrite. Ista responsio non satisfacit. Primùm enim si nomen ipsum spectemus, *onychinus* potius formatur ab onyche, quàm ab onychite. Nam si adiectiuum ab onychite formare velis, *onychitinum*, vel *onychiticum* tibi potius dicendum erit, quàm onychinum. Nisi quis dicat, onychinum non esse ab illo lapide, vt onychites, sed vt onyx appellatur. Sed vnde, obsecro, notũ est, potius esse ab onychite, vt onyx dicitur; quã ab onyche, vt primariã illam onychis speciẽ significat: cum ea sit natura vocabulorũ plura significantiũ, vt, cùm absolutè proferuntur, pro potissimo significato accipiantur: ac proinde onychi, & onychini nomine sine additione posito, potius concipere debemus primariam illam gemmam, & quæ ex illa sunt.

Secun-

Secundò, si lapis onychinus in huiusmodi auctorum locis idem est, qui alabastrites, tunc certè Lampridius non satis meritò factum illud Heliogabali literis consignauit tanquã specimen, & argumentum inauditi luxus. Quis enim adeò inusitatus luxus, si Imperator orbis dominus, cum in vsum adhibeat alabastriten, imò, & onychiten; ex quo, vt Guibertus ex Plinio dicit, fiebant pedes lectorũ, sellæ, & id genus alia: At Lampridius & alij commemorarunt factum illud Heliogabali tanquam immanis cuiusdam luxus indicium, ergò vasa illa onychina fuerunt ex onyche gemma, non ex onychite, vel alabastrite. quo fit, vt vasa murrhina ab onychinis, hoc est, ex onyche gemma factis distinguantur. Quod si vasa murrhina fuerunt onychina, potuisset tam Lampridius, quàm Arrianus paucis sese expedire. Ille quidem dicendo; Heliogabalum vasis onychinis abusum esse: hic verò; lapidem onychinum in illud, de quo agebat, emporium comportari consueuisse. Vterque tamen murrhinum ab onychino separauit. Signum igitur est, veteres onychinum omni modo diuersum à myrrhino existimasse. Hæc de ista sententia.

CAPVT XVII.

Quid Nicolaus Faber, vir eruditissimus, senserit de vino myrrhato.

EXSTAT eius super hac re sententia Annali I. Cardinal. Baronij Anno Christi 34. quæ est, vinum myrrhatũ fuisse potionem soporiferam, mentem à sensu abalienantẽ: præberi solitã omnibus illis, qui extremo supplicio afficiendi erãt: ne vim & acerbitatẽ tormentorũ, ipsiusq; mortis sentirẽt.

Cæsar. Bar. Annal. 1. edit. 1.

Probatur hæc sententia I. ex Galatino.

II. Ex S. Hieronymo in cap. 27. Matth. vbi hæc: *Vsq; hodie Iudæi, & omnes increduli Dominicæ resurrectionis aceto & felle potant* IESVM, *& dant ei vinum myrrhatum, vt eum consopiant, & mala eorum non videat.*

III. Ex Dioscoride lib. 1. cap. 38. qui docet myrrhã procreare soporẽ.

IV. Ex Apuleio, qui lib. 8. *Indidem sese multimodis commulcat ictibus myrrhæ præsumptione munitus.* lib. 10. *Obfirmatus myrrhæ præsumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Sic enim legit Faber pro eo, quod est in vulgatis exemplaribus, *mirè, & mira.*

V. Ex Galeno, qui dicit lib. 1. simpl. med. cap. 19. myrrham, si largius bibatur, aut dementare, aut mortem afferre.

VI. Prouerb. vlt. dicitur, *date siceram mærentibus.* Hebraicè: *date quod inebriet, morientibus.* Vbi, *sichar*, vel *sicera*, significat omne, quod inebriare potest. Et Rabbi Moyses; morientes interpretatur, *reos, damnatos.*

VII. Ex illo Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis*: quod S. Hieronymus vertit; *potasti nos vino consopiente.* Chaldæus Paraphrastes: *Calice maledictionis*: Septuaginta Interpretes transtulerunt: *οἶνον κατανύξεως*; Alexandrino autē idiomate *κατάνυξις, aliū soporem*, & *veternū* significat.
VIII. S.Paul.ad Rom. 11. explicans Isaiæ locum cap. 39. *Spiritum soporis, πνεῦμα κατανύξεως* nominat: cuius etiā effectus ex eiusdē Prophetę cap. 6. subiicit, *ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν: Oculos, vt nō videant, & aures, vt nō audiāt.* Hinc Syriacus interpres trāstulit; *spiritū stupiditatis.*

Inde etiam ortæ sunt phrases illæ, quibus Dominus impiis per Prophetas exitium denuntians, minatur, se daturū eis vinum, seu calicem soporis, vertiginis, stuporis, torporis, acebrietatis.

Hanc opinionē refellit celeberrimus Card. Baron. & clarissimus vir Nicolaus Guibertus in sua Assertione aliquot argumētis. I. Nō reperiri exemplū, vbi à medicis myrrha sit data; si quādo ꝓpter sectionē, aut vstionē sensus cōsopiendi fuerint. Vterentur autē vtiq; vel vsi aliquādo fuissent hoc myrrhę remedio, si tāta vi sopiendi ꝓdita esset.
II. Correctionem duorum locorum Apuleij, repugnare omnibus codicibus, & interpretibus Apuleianis. Et certè Coluius, qui Apuleium recensuit postremus, nisi fallor, & cum MS. Codd. contulit, nusquam hanc lectionem reperit: neq; eius vel verbo meminit.
III. Si Christo myrrhata potio, tanquam soporifera fuisset oblata; simul etiā oblata fuisset duobus latronibus cum Christo crucifixis. Solenne namq; erat, vt omnibus ad supplicij locū perductis, peccatumq; ibi suum publicè confessis, myrrhata potio propinaretur, vt constat ex Thalmud. Tit. Anel Kabbati cap. 2. At constat latrones in cruce fuisse mentis compotes, eaq; loquutos, quæ, mente integri, & constantes loqui solent. Vnde colligitur, vini myrrhati naturā non fuisse, vt dementaret, sensusq; obstupefaceret, sed potius, vt exhilararet, deiectosq; ob impendens mortis periculum erigeret: iuxta illud: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Concedit ergo illustrissimus Baronius, vinū damnatis dari solitum, fuisse myrrhatum; tantummodo negat, fuisse soporiferum, idq; exemplo latronū probat: qui procul dubio vinum myrrhatum biberunt: nec tamen ex potestate mentis exierunt, vt patet ex eorum in cruce sermonibus.

Prouerb. 31.

Sed potionem damnatis præberi consuetam, fuisse myrratham: id nō probo, quia, vt suo loco vidimus, vinum myrrhatū dulce & gratum nō est, sed amarum, & acerbum: nec Christo consolationis, sed potius vexationis gratia oblatum est. Nec obstat; quod Thalmud vocet vinū myrrhatū eam potionem, q̄ supplicio extremo afficiendis porri-

porrigebatur. nam multa alia falsa & fabulosa in farragine illa continentur: & Iudæi inter se non consentiunt: Quidam enim dicunt morte plectendis datam potionem ex absynthio: quidam, ex thure: alij alia commentantur, vt proinde illorum non videatur magna habenda ratio. Nec vllum fuit vinum myrrhatum, seu ex myrrha confectum, quod esset potus hominum, vt fusius iam antea ostendimus. Vt ergo rem paucis complectar: sententiam meam his, quasi aphorismis comprehensam, proponendam duxi.

I. Supplicio afficiendis dabatur potio aliqua apta ad refocillandum, & deiectum animum exhilarandum. Ita plerique tam Hebræorum, quàm Christianorum Doctores. Et colligitur ex illo Prouerb. vlt. *Date siceram mærentibus, &c.* *Prou. Vlt.*

II. Potio hæc non fuit myrrhata, aut vinum myrrhatum. quia ex myrrha non conficitur potio grata, & dulcis, sed acerba & amara, vt abundè iam probatum est.

III. Potio hæc non dabatur sopiendi gratia; &, vt alienarentur à sensibus. Hæc enim consuetudo planè fuisset impia. Tunc enim vel maximè debet homo sibi esse præsens: quando de summa rei agitur, & suprema hora instat, totoque pectore eniti, vt se cum Deo iungat, deque peccatis doleat. Videtur hæc de sopore vel stupore inferendo persuasio nata ex vulgari opinione & consuetudine: qua rudes sibi persuadent, optimè agi cum reis, si potu nimio abrepti, non attendant, quid paulò pòst passuri sint: vinoque corroborati, minus doloris sentiant. Qui profectò deplorandus est abusus, omnique studio à pio magistratu tollendus. Et, quis tam insipiens est, qui hunc soporem sub ipsum mortis articulum à sacra Scriptura commendari putet; quando monet, vt sicera præbeatur mœrentibus: cum sacræ literæ vbique clament, *vt vigilemus*. Quando autem potius vigilandum est, quàm illo tempore, quo anima à corpore separari debet? Tunc certè minimè cupit Deus, vt homo, alto sopore, veternoque sepultus iaceat: quidquid demum supplicij perpetiendum sit. Etsi non vetat scriptura, vt potione aliqua corroborentur rei, & ad alacritatem, & constantiam excitentur, sed saluo rationis vsu & integris omnibus, quæ in tanto salutis discrimine integra esse debent.

Ad illa: quæ ex scriptura adferuntur de vino consopiente, deque spiritu soporis vel stupiditatis, respondeo: omne vinum, si extra modum bibatur, inducere soporem, & stuporem; vt quotidianâ experientiâ patet. Omne etiam vinum procreare potest torporem, languorem, & vertiginem, si modus bibendi absit. Quare, modis illis loquendi, quibus scriptura vtitur, non significatur peculiare aliquod

vinum cum allusione & respectu ad vinum, seu potum damnatorum: sed, significatur id, quod ex omni potu, qui inebriare potest, sequi solet, si in bibendo non seruetur modus. Nam, vt antè dixi, spiritus soporis, vertiginis, torporis, obliuionis nasci solet ex omni potu inebriare solito, si immodicè sumatur. Et hunc spiritum minatur Deus interdum impiis sese missurum: vt, sicut qui nimio vino onusti sunt, torpent, languent, caput demittunt, nutant, nictantur, oscitant, dormituriunt, titubant; & videntes, nihil vident, audientesque nihil intelligunt; ità & isti torpeant, langueant, & cætera, quæ diximus, vel agant, vel patiantur, merito suorum scelerum. Descendit autem nostrum *nictari* à Græco illo *νύττω*, cuius compositum *κατανύττω*, & inde verbale *κατάνυξις*: quasi nictatio, quæ ebriis cumprimis vsitata cernitur.

IV. Licet consuetudine receptum esset, vt damnatis porrigeretur vinum aliquod de meliore nota; idque solatij, & roboris sufficiendi causa: Christo tamen nihil huiusmodi humanitatis, & obsequij præstitum est. Quia ipse, ore Dauidis ait: *Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni:* de quo plura suo loco. Nec incommodè ad Christum accommodaueris illud Threnorum: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absinthio, &c.* Et: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthij, & fellis.*

Psal. 68.

Thren. 3.

CAPVT XVIII.

Quid Antonius Persius de vino myrrhato sentiat, deque potu calido seu calida dissertatiuncula.

STATVERAM hîc huic commentariolo terminum figere, sed en dũ in finis & conclusionis cogitatione versor; perlatus est ad me Frisinga ex locupletissima Bibliotheca admodum Reuerendi, nobilis & eruditissimi Domini ANTONII VELSERI, cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonici, Præpositi Spaltensis, &c. liber Italicus Antonij Persij de veterum consuetudine bibendi calidam seu potum calidum; in cuius libri capite quinto disputat de vasis murrhinis, eaque ad Thermoposiam seu potum calidum adhibita fuisse docet cùm aliunde, tum ex illo Martialis disticho:

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Inspergit tamen non pauca, quorum falsitas ex his, quę toto hoc tractatu disseruimus satis elucescit. I. *Vinum ex murrhinis bibi solitum, myr-*

myrrhati nomen tulisse. II. Illa Plinij lib.14. cap.13. *Lautissima apud priscos vina erant, &c.* intelligi de vinis, quæ ex vasis myrrhinis bibebantur.

III. *Vinum, quod ex Rhodiacis ollulis bibatur, dictum fuisse myrrhatum.* Vide caput tertium. Non bibebant ex ollulis Rhodiacis, sed aquam in iis calefaciebant, vino affundendam impediendę ebrietati, & discutiendis vaporibus. Nec aqua in Rhodiacis calefacta, nec vinum aqua illa dilutum, *myrrhati* nomen inde inuenit.

IV. *Vinum myrrhatum ab iniecta myrrha sic dictum fuisse dulce & iucundum, non quidem ex myrrha, sed ex aliis aromatum generibus.* Secus habet. Nam extra Caluariæ montem non est vllum vinum myrrhatum, seu οἶνον ἐσμυρνισμένον reperire: vt abundè probatum antea.

Ait Persius: *Apud nullum Auctorem exstare, vinum myrrhatum fuisse amarum.* Plus ego dico, à nullo veteri scriptore, excepto S. Marco, mentionem vini myrrhati fieri: & si fieret, necessariò dicēdum esse, amarum fuisse, non dulce acceptumq; gustatui. Ait, *vinum potuisse gratissimi odoris myrrhei particeps reddi, non transfusa in vinum amaritie; deq; odore loqui Plinium.* At & de dulcedine vini eo loco loquitur: nam dulcia potionum genera ex Plauto recenset, & in his murrhinam, quæ si odorem myrrhæ habeat, an amaroris expers esse potest? Et vt amariciem separare liceret, remanente suaueolentia myrrhæ; copiosè tamen probatum est, nullum vini genus, quod à myrrha *myrrhatum* vocaretur, priscos in vsu, multoque minus in deliciis habuisse.

Vrget nos experientiâ, se aquam, in qua feruente, optimæ notæ myrrha, vtpote Troglodytica, decocta fuerit, vino infudisse; nec quidquam amaroris in temperati vini illius haustu percepisse.

Respondeo, hoc variis modis accidere potuisse. Nam fortasse nimis multa erat aqua, in qua bulliente, myrrha illa decocta est; & nimium exilis portio myrrhæ. Forsan quoque nimis parum aquæ vino affusum est. Forsan & decoctionis feruor amarorem nonnihil dissipauit. Forsan imaginationi & præoccupatæ opinioni etiam aliquid tribuendum est: nam facilè fit, vt quod quis dulce credit, & pro dulci vendit; pro dulci bibat, quamuis reuera sit amarum.

Præterea Athenæus omnia vnguenta, quibus plusculum myrrhæ inest, arcet à potu propter amariciem. Si ergo myrrhæ grandiuscula portio cum aliis rebus mixta, inepta est, quæ vino infundatur; quanto magis inepta erit myrrha separatim sumpta; & cum aliis odoramentis non copulata.

Docet quoque Plinius, solam myrrham sine oleo non posse facere vnguentum, excepta stacte, & hoc ob nimiam amaritudinem. Quanto minus sola myrrha vinum dulce & iucundum efficere valebit?

Plin. lib. 13. c. 1.

Ait,

Ait, vasa myrrhina non fuisse lapidea, sed ex lacryma myrrhæ fabrefacta. Sed hoc iam abundè refutauimus, & apertè contradicit Plinio & Pausaniæ, quos Auctor iste citat. Itaque siue ex myrrhæ lacryma vino iniecta; siue à vasis myrrhinis, hoc est, ex concreta myrrhæ lacryma confectis, vino huic auctoritatem & iucunditatem conciliare velis; nihil efficis.

Prætereo cætera eiusdem disputationis, quia sponte sua concidunt, cum huic vnico fundamento innitantur, myrrhinam seu myrrhinum appellationem sortiri à myrrhæ lacryma, vel à vasis ex lacryma myrrhæ confectis. Quo fundamento euerso, prout, nisi fallor, euersum est, corruat oportet, quidquid superstruitur.

Monet autem me Persij de thermoposia commentarius, vt hic attexam, quæ ante complures annos super eodem argumento disserui, occasione inaugurationis cuiusdam Philosophicæ: nec ab instituto aliena erit hæc recensio, cùm alias ob caussas, tum quia in hac ipsa de vino myrrhato & murrhinis disceptatione mentio facta fuit potus calidi. Ita igitur post exordium solenni more præmissum, rem ipsam aggressus sum. Ostendam paucis primò calidam bibisse priscos. Secundò, afferam caussas. Tertiò, disquiram quæ nam sint legitimæ ac probæ.

Veteres igitur bibisse aquam calidam, fusè demonstrat vir hac ætate longè doctissimus Iustus Lipsius, & cuiuis in bonorum auctorum monumentis non planè peregrino, & hospiti exempla huius vsus occurrunt, quem firmat Iuuenalis, Seneca, Martialis, Ammianus, Plautus, Athenæus, Dio Cassius, Plinius, Philo Iudæus, Lucianus, Paulus Iurisconsultus, Apuleius, & ridicula illa Tiberij Cæsaris agnominatio: *Biberius Caldius Mero: Caldius* enim nominabatur à frequenti aquæ calidæ potu, & calicem à *caldo* seu *calido* dictum vult Varro, quod calidam eo biberent. Herodianus quoque inter cęteras delicias, quas Commodi Imperatoris assentatores adolescēti proponebant, commemorat aquam calidam.

Lips. lib. 1. Elect. cap. 2.

Herod. lib. 1.

Neque verò veteres duntaxat vtebantur ad potum aqua calida, sed & his temporibus Iaponij vtuntur, vt Maffeius & alij rerum Indicarum scriptores prodiderunt. Tres item regij illi Iuuenes, qui superioribus annis ad laudatissimæ memoriæ Gregorium XIII. Legati ex Iaponia in Italiam venerunt, calidam bibebant aquam ritu gentis, vt in Itinerario legationis illius scribitur. Verba singulorum auctorum non adfero; suffecerit ipsos fontes indicasse.

Maff. lib. 12. histor. Ind.

Bibebant autem aquam hanc alij quidem valdè calidam, & fermè feruentem, quod nominatim de Iaponiis traditur; Hinc puer ille

ebrius

ebrius apud Plautum: *Di me perdant*, inquit, *si bibi, si bibere potui, quia absorbui. Nam nimis calebat, amburebat gutturem.*

Alij bibebant vtcunque calidam, non tamen infra mediocritatem; quod ex Seneca liquet.

Sen. lib. 2. de ira cap. 25.

Quod ad tempus attinet, Iaponiis perpetuus aquæ calentis vsus esse videtur. Quis mos Græcis & Latinis fuerit, perspicuè non constat. Apud Athenæum hoc præceptum datur, vt vere & hyeme bibatur aqua calida, æstate verò frigida. Arbitror tamen fuisse non paucos, qui quouis tempore calidam potarent. Certè quauis propemodum in compotatione paulò sumptuosiori calidæ gelidæq; minister aderat, & Martialis clamat: *Frigida non desit, non deerit calda petenti.*

Calefiebat porrò aqua ad potum publicis in cauponis, & propriis in vasis: Cauponas illas appellat Plautus *Thermopolia*, quæ nihil aliud erant, nisi ædes aquæ calefactrices, & calidæ venditrices. Vas huic vsui destinatum vocat Paulus Iurisconsultus *Aënum*, alij, *Miliarium*; si quis *Caldarium* quoque vocatum velit, haud errabit, licet fortè voci huic amplior sit notio; quod tamen non refert. Iaponij instrumenta aquæ ad potum calefaciendæ in maximis & pretiosissimis thesauris numerant; ea ferè sunt, focus & olla cum tripode, infundibulum, figlini calices, cochlearia, & nescio quæ alia, quæ, vt inquit Maffeius, haud inferiore apud Iaponios habentur loco quàm apud Europæos annuli gemmati & baccata monilia.

Nec in vsu solùm antiquitus calida, sed etiam in deliciis: Testis Philo Iudæus, qui mores Essæorum narrans, ait: Conuiuis non vinum, sed aquam limpidissimam præberi, cæteris frigidam, calidam his, qui ex senioribus delicatiore tractatione egeant. Ex quo consit calidam, vt exquisitas quasdam cupedias ætate prouectioribus fuisse concessam.

Idem ex Plauto colligitur, apud quem videre est *Thermopolia* ita frequentari & celebrari à gulonibus fuisse solita, quo pacto celebrantur nunc cauponæ illæ, quæ mulsum aut cereuisiam venalem proponunt Quocirca Claudius Imperator Thermopolia sustulit, serioque interdixit, ne quis aquam calidam venderet. Et Caius Caligula Cauponem quendam interfecit, quod per dies funeris Drusillæ calidam vendidisset, quasi hominem impium, & in publico luctu lasciuiæ administrum.

Iaponij amicis venientibus & abeuntibus calidam offerunt. Ex quo colligo illam illis item in deliciis esse; præsertim cum suis in conuiuiis admodum hilariter hospitem aut conuiuam accipiant; quod non fieret, si nihil iucunditatis & delectationis in calida reperirent.

Quærat quis: vtrum puram putam aquam biberint & bibant, an mixtam? In promptu est responsio. Quidam puram, meram & simplicem. Audiuimus id paulò antè ex Philone, etiam deliciarum gratia. Mirabitur quis: quę nam deliciæ in aqua calida: Magnę supra modum, si sitias; Nullæ si non sitias. Repererunt ipsi in calida, quo sese oblectarent, si tu nihil oblectamenti inuenias, nó mirum: quia aliud illis, aliud tibi palatum, cui nulla voluptas, *Thermopotare gutturem*, vt Plautus loquitur. Cum Artaxerxes cognomento Mnemon hostes instantes trepidus fugeret; & ob penuriam panem hordeaceum edere cogeretur. *Quanta hactenus*, aiebat, *voluptatis expers vixi*. Similia narrantur de aliis. Idem in proposito cuius nostrum contingere posset. Iaponij similiter puram interdum calidam bibunt.

Alij miscebant cum vino. Plautus id docet; *vbi quid surripuerunt*, ait in Curculione, *operto capitulo calidum bibunt: Tristes atque ebrioli incedunt*. *Calidi* nomine non *calidæ* vtitur; quia vinum calidum aqua mixtum intelligit, imò merum quoque vinum calidum hauriebant, vt liquet ex hoc Epigrammate Martialis:

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno conuenit.

Idem inde colligitur. Quia ebrij fiebant potu calido. Num solâ & purâ aquâ? Nihil minus. Totum Danubium ebibas; ebrius non fies. Miscebant ergo calidam cum vino; vel cum calida vinum: hinc ebrietas. Dixi, aquam non inebriare. Accipio aquam etiam calefactam; & valde quidem, & diu & sæpe calefactam; sed non distillatam. Nam vt Cardanus docet, omnis aqua, cum sępius distillatur inebriare potest; Incalescit enim, attenuatur, & vim ignis magis atque magis recipit; vnde sæpius distillata & percolata eò acuitatis procedit, vt bibi nequeat. Verùm in Thermopoliis Romanis calefaciebant solummodo aquam sine hac distillatione non cauponaria, sed Alchymistica.

Card. lib. 8 subtil.

Interdum miscebant aquam calefaciendam cum herbis, aromatis, frumento, & id genus aliis, ex qua mixtione conficiebatur eiusmodi potio, qualis apud nos cereuisia, quæ fit ex hordei & lupuli decocto; & apud Moschos *Medum* ex melle & lupuli semine; quæ genera potus nihil aliud sunt secundum substantiam quàm aqua, sed aqua paulò habitior & concretior, quàm illa elementaris, quæ ob simplicitatem parum nutrit; ac proinde nec sensum nec rationem, quamuis largiter hausta ligat & turbat. Talis & illa aqua calida; quam ad potum Iaponij adhibent. Inspergunt enim puluerem *Chiam* dictum, & huic aquæ miscendæ & temperandæ principes nonnunquam viri suis ipsi manibus, amicorum honoris caussa, dant operam, certasq; habent ædium partes huic ministerio dicatas. Hæc de ipsa consuetudine.

Quæ

Quæ tot auctorum testimoniis, vsuque populorum satis firmata videri posset. Eam tamen negat Medicorum hac tempestate celeberrimus Hieronymus Mercurialis. Arbitratur enim aquam calidam in veterum monumentis illam appellari, quæ nulla arte refrigeraretur, sed qualis suapte natura erat, bibentibus porrigeretur; Cæterùm quam prope accedat hæc opinio ad veritatem; non disquiram pluribus; Illud tantum dixerim, communi hominum sensui repugnare, vt aqua, propterea dicatur calida, quòd nulla arte sit frigefacta; cum aqua natura sua sit frigida: Admittamus ergo ipsam consuetudinem. In qua, quàm multum discrepent illi veteres & hac ætate Iaponij à recentioribus, & Europæ incolis, nemo est qui non videat: Nam vix reperias, qui extra morbũ, tussim nimiumq; senium, non malit haustum frigidum, quàm calidũ, seu vinum sit seu aqua, seu quid aliud. Hinc prima hospitis à potu frigido cõmendatio. Etsi quis hospitium intret, scitis quid primo à plerisque soleat queri. Et vt calor à potu arceatur, quid non excogitauit gula? glaciem hibernam, obstupescẽte æstate, ad frigerandum potum arte & industria non pauci integram conseruant etiam tunc *cum grauis exustos æstus hiulcat agros.* Nec glaciem solum, sed & niues, quarum globis potus circumuallatur, donec gelidissimus fiat; nec hodie solùm, sed & olim apud Latinos & Græcos. Testes Macrobius, Plutarchus, Athenæus, Plinius, alij: Et ex Poëtarum cœtu Martialis hoc disticho.

Mercur. lib. 3. Var. lect.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

De niue autem aqua rigens potari poterat vel quia ex niue soluta erat, sine decoctione; vel decocta & refrigerata, nouo Neronis inuento. Nam *Neronis principis inuentum est,* inquit Plinius, *decoquere aquam, vitróque demissam in niues refrigerare,* quod similiter in quauis aqua fieri poterat, non tantum in illa, quæ ex niue aut glacie resoluta erat: Vel quia aquæ ebibendę nix aut glacies iniiciebatur; vel quia poculo circumponebatur, donec aqua ad summũ frigus perduceretur. Exempla omnium extant apud Poëtas, Historicos, Philologos. Nec opus immorari.

Plin lib. 31. c. 3.

Idem mos hodie Turcis. *In Mysia & Paphlagonia,* inquit Bellonius, *potum conficiunt, quem Scherbet nominant, eiusq; sunt varia genera, & fit ex ficubus, prunis, pyris, &c. Hæc potio venalis est; & qui eam vendunt, admiscent refrigerationis caussa, glaciem vel niuem: quam collectam in hyeme, seruant per æstatem, & vendunt etiam. Turcæ similiter potus refrigerandi caussa, niuem & glaciem per æstatem asseruant, & potui iniiciunt. Pro Turcarum Imp. adfertur nix ex montibus Herminio, aut Olympo: putant enim eam, quæ circa Constantinopolim est, non*

Bellon. lib. 3. obseru. cap. 22.

esse adeo salutarem. Aliæ nationes hodie glaciem & niuem potui non iniiciunt, sed aquæ, in qua potum refrigerant.

Sed omissa frigida videamus, quæ nam antiquis calidæ bibendæ caussa fuerit. Iaponij dicunt, frigidâ comprimi fibras, irritari tussim; & pectoris vitia; restingui natiuos ignes; feruida foueri calorem insitum, laxari meatus, & facilius leuari sitim. Sunt qui velint calidam ad potum adhibitam, quòd procliuius & iucũdius potio calida, quam frigida iret in bulgam. Alij sanitatis hac in re rationem habitam dicunt; nam aqua calente ait Plato, ilia refrigerari, & appetentiam concitari. Alij alias caussas accumulant, non magni momenti, quanti videlicet sunt etiam prædictæ. Nam potum calidum naturæ aduersari rectè vidit & scripsit Plinius. Nullum enim animal, præter hominem, calidos potus sequi videmus, ideo neq; naturales censendi sunt. Non loquimur de tussientibus, aut ægrotantibus, aut decrepitis, quibus Medici calidum potum nonnunquam, & rectè præscribunt, sed de valentibus sermo est; hos naturam peruertere si calidam bibant, relicta frigida, affirmo. Quia bibimus vt siti satisfaciamus, at sitis est appetitus humidi & frigidi, vt docet ab ipsa natura edoctus Aristoteles, quanquam si quis etiam sanus ad calidã sese assuefaciat, poterit proculdubio sitim depellere ob consuetudinem, quæ vulgò altera natura dicitur. Neque enim ita sitis in humidum & frigidum tendit, vt prorsus abnuat calidum; sed potius frigidũ quàm calidum sibi vendicat, hocq; naturæ non deprauatæ conuenientius est: Hinc Christophorus Vega, Medicus clarissimus, aquæ calidæ potum frequentem, ait, efficere catharros, ventriculi imbecillitatem & hecticam. Quod si, præter cæteras caussas, ideo quoque bibit homo, vt nimium ardorem & calorem exstinguat, aut mitiget, clarum est frigidam munus hoc melius præstare quàm calidam; quamuis & calida posit, sed vt philosophi loquuntur, plane per accidens.

Arist. lib. 2. de Anima.

Valet hic præterea axioma illud Topicum: *Eorum quæ sub eadem specie continentur, id melius est, quod propriam habet virtutem, quam quod non habet.* Atqui calida & frigida sunt eiusdem speciei; & hæc propriam virtutem habet, nempe frigus: illa minimè; ex quo sequitur hanc illi sine vlla dubitatione esse præferendam. Neque verò vt obiicitur, potu frigidæ opprimuntur spiritus vitales, neque excitatur tussis: Non enim quamuis probamus frigidam, sed illam, quæ moderatè sit frigida: Quo fit vt licet aqua ex natura sua summum frigus sibi deposcat, vt in secundo de Generatione à Philosophis ostenditur, naturæ tamen auctor Deus, animantium saluti prouidens, qualitatem hanc aquæ temperauerit, & ad mediocritatem redegerit, vt commodum potum

præ-

præberet animalibus, quorum vita in humido & calido consistit. Talis aqua tantum abest vt calorem insitum corrumpat, vt eum potius mirificè conseruet & corroboret. Refrigeratione enim eget calor insitus; aliâs suffocaretur. Hæc autem contingit partim respiratione, partim alimento & potu.

Quod autem maiorem voluptatem sentiri aiunt potu calidæ quã frigidæ; id vix à se impetrabit, vt credat, homo robusto pectore. Cras credo, hodie nihil, ait ille. Verum tamen illud est: Trahit sua quemque voluptas. Multis nihil placet, nisi quod communi rerum ordini & legi aduersatur; idem hic accidit. Si potio calidæ in vsu foret, ipsi frigidam biberent eo duntaxat fine, ne quid cum cæteris mortalibus commune agerent. Sic reperias, qui totas noctes edant, bibant, ludant, venentur, aucupentur, ius dicant, reddant, negotia transigant, totos porro dies stertant, osores solis & lucis, quos quibus similes feramus, nisi noctuis & catis, & aliis murilegis bestiis, quibus amica nox, inimica dies?

Varia videlicet sunt hominum ingenia; varij mores; & consuetudines. Quem nos honorare volumus, ad dexteram collocamus siue sedendum, siue eundum, siue standum sit. Turcæ ad sinistram: quod etiam Cyrum Regem fecisse memoriæ proditum est. Equum nos à læua; Iaponij à dextra conscendunt. Inter salutandum nos caput; Iaponij perleui crepidarum vel sandaliorum excussu, pedes aperiunt; Aduenienti amico nos assurgimus, illi subsidunt: nobis gemmæ, illis ferrea vel fictilia vasa in honore sunt. In olfactu suffitus nostros minimè ferunt: alia ipsi quædam odoramenta succendunt: In gustu nostras illi epulas, nos vicissim illorum condimenta aspernamur. Quæ igitur diuersitas in his & aliis centenis huius generis accidit, Eadem quoque accidit in potu, *Velle suum cuiq; est nec voto viuitur vno.* Hæc olim in Academia, quæ huius disputationis de myrrhato potu clausulam, & eorum, quæ fusius tractat Antonius Persius, Epitomen esse volui.

Finis disputationis de vino myrrhato, & murrhinis.

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV

APOLOGIA

PRO PRIMA CHRISTI CRVCE, IMAGINE ET SIGNO CRVCIS.

Contra

FRANCISCVM IVNIVM CALVINISTAM.

Qua

Defenduntur & à calumniis vindicantur, quæ de hoc argumento disserit Illustrißimus Cardinalis Bellarminus *libro secundo de Ecclesia Triumphante.*

APOLOGIA PRO CRVCE, IN QVA CHRISTVS PASSVS, PRO IMAGINE ET PRO SIGNO CRVCIS CONTRA FRANCISCVM IVNIVM CALVINISTAM.

IN secundo libro quarta Controuersia generalis, quæ est de Ecclesia triumphante, disputauit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus quinq; postremis capitibus de Cruce, in qua Christus nos redemit; de imagine & signo, deq; hostibus Crucis, eorumq; telis, quibus Crucem oppugnant. Tom. 1.

Hæc capita, vt & totam hanc de Ecclesia triumphante doctissimam & elaboratissimam disputationem, lancinauit & lacerauit Franciscus Iunius Caluinista, animaduersiunculis suis, quæ proximè anteacto vere, post infaustam Auctoris mortem, in luminis oras prodierunt. Quas si antè nactus fuissem, quàm Tomi primi de sancta Cruce nupera editio finem accepit, haud impunè abire siuissem tantam Caluiniani huius in Domini Crucem petulantiam & impietatem, sed eam pro merito repercussissem, & pro viribus retudissem. Sed quod tunc non licuit, necdum publicato hoc in Saluatoris nostri Crucem Iuniano probro, id modò liceat, vnaq; operâ & Crucem Domini; & celeberrimum eius propugnatorem Bellarminum à Caluinianis calumniis vindicemus. Quod paucis præstabimus, quia pleraq; iam in Tomis de sancta Cruce non indiligenter tractata sunt. Sequemur autem vestigia Bellarmini, sicut & in Opere de sancta Cruce factum; obseruato eo ordine, quem titulus huius Apologiæ præfert.

summi sacrificij; scala ad regnum, & instrumentum liberationis humani generis; quo item deuictus & sub iugum missus Diabolus, &c. Iunius, vt ab hoc, & aliis Bellarmini argumentis breuiter se expediat; *Lignum crucis*, inquit, *cui Dominus fixus est, negamus esse in natura rerum.* Iam ergo rem factam & confectam habes Iuni. Quid vis amplius? Cur vlterius in hac de Cruce disceptatione progrederis? Postquam enim ipsum fundamentum euertisti, & vt in scholis Philosophorum dicitur, quæstionis *An est*, partem affirmantem sustulisti, cætera omnia sponte sua, nemine impellente, ruunt.

Vide lib. 1. de Cruce cap. 54. & seqq.

Lignum Crucis negamus esse in natura rerum. Grandem oportet tuam tuorumque esse auctoritatem, qui vna negatione omnium sæculorum consensionem labefactare, & in fumos vertere possitis. Oriens & Occidens, Septentrio & Meridies, prisci recentesque Historici cōsona voce testificantur, lignum primæ Crucis aliquot seculis post Christi passionem superfuisse, & etiamnum superesse; Caluinianus iste abnuit. Quibusnam fides habenda? De fungina, non humana stirpe prognatus fuerit, qui vnum vel plures Caluinistas toti orthodoxo mundo anteponat.

Lege lib. 1. de Cruce cap. 77. & seqq.

Sed ne tantæ rei, tantis testimoniis corroboratæ negatio videatur temeraria, en eius tibicines & fulcra. *Si lignum Crucis in rerum natura esset, aut per naturam, aut per institutum Christi, aut per alienam artem & diligentiam seruatum esset.* Concedo hanc tuæ probationis partem. *Per naturam fieri non potest.* Qua de causa? An censes nullum lignum sexdecim secula durare posse? An nescis *cedrum immortalem*, & *ligna Setim* putrescere nescia? Tempore Iosephi, hoc est, post aliquot annorum millia, supererant adhuc reliquiæ de Arca Noë, & Constantini ætate exstabat dolabra, qua Noë vsus in exstructione Arcæ; vt scribit Nicephorus; eiusdemque Constantini æuo vigebat & florebat Quercus Mambre hospitio Abrahami celeberrima & decantatissima.

Vide lib. 1. de S. Cruce cap. 6. Exod. 25. & alibi.
Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 2.
Niceph. lib. 7. cap. 49.
Niceph. lib. 8. cap. 30.

Enumerat quoque Plinius arbores, quæ longè pluribus annis perennarunt, quàm à Christo passo vsque ad nostram memoriam effluxerunt. Quid igitur mirum, si & Crucis lignum mille sexcentos annos incorruptum perseuerauit? *Vita arborum quarundam immensa credi potest*, inquit Plinius, *si quis profunda mundi & saltus inaccessos cogitet*: Et Iunius ligno crucis, vita iam destituto, & à stirpe sua reciso, abiudicabit mille sexcentos annos: idque sine vllo probabili argumento, sola & solenni, qua pollet, quiduis asseuerandi consuetudine?

Plin. lib. 16. cap. 44.
Plin. loc. cit.

Per naturam, inquis, *non licet.* Vbi ratio? Vbi probatio? Quare non licet? An quia tu non licere credis? Ætate Plinij durabat Argis olea ab Inachi temporibus. Numera, oro, quot secula ab Inacho vsque ad

Plinium præterierint. Eiusdem memoria circa Heracleam visebantur duæ quercus ab Hercule satæ. In Aulocrene platanus ostendebatur, ex qua pependit Marsya victus ab Apolline. Ab eiusdem Apollinis ætate conspiciebatur palma Deli; & Olympiæ religiosè custodiebatur oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est. Vt & Athenis olea, à seculo ipsius Mineruæ. Ini, quæso, Caluinista, rationem & numerum annorum à supradictorum ætate, vsque ad tempus Plinij, & vbi bona fide computum peregeris, renuncia nobis, vbi appareat maior temporis diuturnitas, num in ligno sanctæ Crucis; an in illis arboribus, de quibus Plinius.

Bedam percutit Caluinista conuicio, & præterea onerat mendacio. Nam *somnium* vocat eius de materia Crucis sententiam. Quæ cōtumelia redundat in alios eiusdem sententiæ patronos & assertores, inter quos ipse S. Chrysostomus. Mendacium autem est, Bedam dicere; *Crucem ex lignis maximæ durationis fuisse fabrefactam.* Nil Beda de *maxima duratione*, sed simpliciter asserit, Crucem ex Cypresso, Cedro, pinu & buxo coagmentatam fuisse.

Leg. lib. 1. de Cruce cap. 5.

Nunc alteram partem propositionis suæ probare ingreditur Iunius; sed eodem successu, quo probauit partem priorem. *Per institutum Christi seruatum esse, nec verum est, nec verisimile.* Lignum Crucis non nisi per miraculum huc vsque durasse, nil opus affirmare; (Quanquam si affirmaretur, nil à ratione alienum affirmaretur) quandoquidem hæc tanta duratio naturam eius non excedit, vt antea exemplo aliarum arborum demonstratum est. Tametsi non imus inficias ad hanc durationem accessisse etiam institutum, hoc est, voluntatem & beneplacitum Dei, Christiq; Redemptoris nostri, qui voluit hoc salutis nostræ symbolum in varias particulas diuisum, fidelibus ad solatium, pietatisq; incitamentum perpetim superstes manere. Qua de causa etiam accidit, vt Iudæorum & Gentilium impias manus feliciter effugerit, Deo sic rem disponente, vt statim à Christi morte in terræ viscera abderetur, & postea in lucem emergeret, cum Christianam religionem quiuis liberè ámplecti & profiteri posset.

Probat Iunius, quod affirmauerat, nec verum, nec verisimile esse, voluisse Christum suam crucem superesse. *Nam quomodo hac in re à seipso discessisset, & cultus materialis dedisset argumentum, quod ne in Mosis quidem sepultura factū?* Cur Moysis tumulus incognitus manserit, caussa est, ne populo ad Idololatriā cereo, daretur eius criminis perpetrandi vlla occasio. Cui caussæ, hic nihil loci. Porrò si Deus nullum *materiale*, hoc est, materialis rei seu *obiecti*, cultū instituit aut approbat, sequitur, perperā egisse tres Magos, qui occidentes adorauerunt Christū infantē;

Matth. 2.

Malè

Malè item egisse cœcum illum, à primo ortu, qui, vbi visum receperat, procidens, adorauit Christum, cultu vtique religioso. At & hic & ibi cultus erat *materialis*; hoc est, materialis *obiecti*, nempe Christi Domini, qui videbatur, loquebatur, audiebatur. Quomodo Deus introducens filium suum in hunc mundum, hoc Angelis mandatum edidit. *Et adorent eum omnes Angeli eius*: Si omnis cultus rei materialis aduersatur Deo? Quomodo item edixit? *Adorate scabellum pedum eius*: quod de cruce Domini non pauci ex Patribus interpretantur. Gratulandum est Caluinistis, qui tam spirituales effecti, & adeo ab omni materiei concretione abstracti sunt, vt ne Christi quidem humanitatem, & externam speciem adorare velint; imò non adorandam esse, libris in vulgus sparsis contendant.

Ioan. 9.

Hebr. 1.

Aliena diligentia seruatum, si dixeris, inquit Iunius, *per quos? quando? quomodo factum eo tempore? Nam eius rei nemo Apostolus, Euangelista, Sanctus meminit.* Confundit Iunius conseruationem primam cum posteriore. Nam primùm Crux seruata fuit eorum ope, licet quid agerent, ignorantium; qui crucem Christi, vsitato more, defoderunt. Huius enim defossionis beneficio tuta fuit ab Ethnicorum & Iudæorum iniuriis. Posteris temporibus, cum in lucem ex tenebris venit, seruata est studio Helenæ, Constantini, & aliorum, quibus de hoc thesauro vel pars vel particula aliqua obtigit; omnes enim, si quam portionem nacti essent, eam non secus ac cœlestem hæreditatem, custodiebant, & ad posteros transmittebant; & porrò itidem transmittent quoad hæc mundi machina stabit.

Nec refert, in Euangelio nihil exstare de Crucis asseruatione. Satis est eam nobis ex perpetua Ecclesiæ traditione, & totius antiquitatis consensione & testificatione, cognitam esse; cui qui fidem abrogandam censet, is iure optimo, capitis purgandi caussa, cicutam poscere potest. Num omnia in Euangeliis scripta? Vbi scriptum, diem Natalis Christi & Ascensionis festum, ferias esse? Et tamen Caluinistæ vtramque solennitatem in feriis numerant.

Quomodo, inquit Iunius, *ad tempus vsque Constantini seruatum est hoc lignum in tot incendiis, subuersionibus, ruinis, bonorum fuga, malorum peruicacia?* Facilis responsio; quia terrâ erat obrutum. Quapropter à periculis impendentibus immune permansit. Quæramus & nos ex Iunio; quomodo reliquiæ Arcæ Noëticæ; & dolabra, qua Noë vsus in ædificatione Arcæ; quomodo quercus Mambre; quomodo aliæ arbores apud Plinium, & alios, aliquot annorum millia incolumes durare potuerunt in tot incendiis, subuersionibus, ruinis, tempestatibus, turbinibus, fulminibus, bonorum fuga, malorum peruicacia? Quidquid ad

rem responderit, hoc sibi itidem à nobis responsum arbitretur. Quocirca vt Titus Imperator vrbem euerterit: *Adriano etiam propter offensam à Iudæis acceptam racemante, & statuam Veneris in crucis loco disponente.* Crux tamen in visceribus terræ delitescens, discriminis exsors fuit: neque enim euersiones ad abdita & in telluris penetralibus conclusa pertingere solent: imò, quo magis sepeliunt, eò magis ab externa vi & incursione muniunt.

Necdum quærendi modus: *Quodnam lignum*, sciscitatur Iunius, *primò defossum, postea repertum est? Stipesne Crucis vel cippus, σκόλοψ, tignum arrectarium, an transuersarium: an verò vtrumque simul.* Respondeo, vtrumq; simul; quia tota crux defossa, & posteris annis reperta est. *At stipes* (de tigno arrectario loquitur Caluinista) *plurimùm immotus stabat: & supplicio sumpto (prout erat exemptile) Domini curabant reportari domum* (lignum transuersarium) Vt id aliquando factum fuerit, præcipuè apud Romanos; negamus tamē factum in passione Christi; quia Christo eunti ad supplicium tota crux imposita fuit, non solum lignum transuersarium. Testantur id Euangelistæ, qui Christo *Crucem* impositā aiunt; at lignū transuersarium non est crux, sed pars crucis. Nec opus hic ad Tropum confugere, vbi proprio sensui adeo nihil officit, vt omnium Christianorum sensus & consensio ei faueat & adstipuletur.

Tandem Iunius nonnihil mitescere & clementiorem animum in lignum Crucis accipere incipit: *Vt demus*, inquit, *exsistere lignum illud Crucis, negamus lignum hoc materiatum sic esse venerabile, vt affirmat gens pontificia. Non in se & per se.* (Esto, non affirmamus hoc, si voculæ *in se, & per se,* idem tibi sint, quod *propter se*) *nō relatione & respectu ad Christum* (hoc negamus. Probas.) *Nam hic respectus tantisper durauit, dum Christus pendens adfuit; pòst, communis factus est.* (negamus, iam quoque durat hic respectus & durabit, quoad mundus durabit: quia semper verum erit dicere; hanc esse crucem Christi, vel partem de cruce Christi. Hanc Crucem vel hanc partem crucis contactu Christi sanctificatam, & sanguine irrigatam esse: has esse reliquias crucis Christi; semper igitur respectus & habitudo ad Christum remanet.) *quemadmodum & locus Deo præsente sanctus est, in communem verò conditionem simul reuertitur atq; discessit Deus.* Et hoc falsum est: nam Christus Deus iam pridem ex Palæstina discessit; & tamen propter iam olim corporalem Redemptoris nostri in ea præsentiam & conuersationem, vocatur etiamnum communi loquentium consuetudine, TERRA SANCTA, & à nobis Germanis, das heilig Land: cum respectu ad Christum, & miracula inibi ab eodem patrata, consummatumque Redemptionis nostræ opus.

Probat

Probat Iunius, Crucem non esse venerabilem; *instituto, hoc est, ex* alicuius institutione. *Cuius enim? Dei, an hominis? Si Dei dixeris, in verbo illius de hac re nullum verbum.* Vt id ita esset; haud sequeretur tamen, hunc cultum non esse ex institutione Dei, nam præter verbum Dei scriptum, est aliud ἄγραφον, *non scriptum.* Deinde nego nihil in verbo scripto de Crucis veneratione contineri: Nam omnia illa loca, quæ sunt de cultu Christi, pertinent etiam ad illa, quæ peculiariter, per repræsentationem nimirum vel sanctificationem acceptam, vel visionem, sunt, & dicuntur Christi. Qua de re lege, quæ ex Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, & ex aliis alibi disseruimus.

Lib. 1. de Cruce cap. 57.

Non id quidem nego, inquit Iunius, *si crux ipsa certò inueniretur, fore, vt veneratio quædam artus nostros commoueret, atque afficeret.* Illa videlicet veneratio, quæ Lutheri animum perculit, quando dixit, *si quod fragmentum de cruce Christi nancisceretur, se eò loci id proiecturum, quò sol radiis suis nunquam pertingeret.* Quàm verò hæc religiosa veneratio? Quàm religiosus horror?

Vide lib. 1. de S. Cruce c. 100.

Sed hoc non efficeretur ligno Crucis, inquit Iunius. Vtique affectus iste Lutheri, & similium, non efficeretur *ligno Crucis*, sed instinctu & afflatu eius, qui ex Orco omnia rectè instituta oppugnatum vel ipsemet tendit, vel copias suas submittit. Libenter autem viderem Iunium, vel alium Caluinistam ex conspectu Crucis assurgentem in cultum crucis. Mirabilis sine dubio esset illa assurrectio: nam statim vel flammæ, vel vndę pararentur, vel gladij stringerentur, non alio fine, quàm vt cruci veneratio debita exhiberetur: nam quod Caluinistæ audent in Crucis imagines, cur idem sibi arbitrarentur illicitum in eam crucem, quam Christus contactu, cruore, & morte sua dedicauit?

Veneratio, inquit Iunius, *ad Christum, cuius illa crux fuit, & ad actum perpessionis illius salutaris assurgeret, monimento Crucis conspecto, in qua se Christus Deo & patri obtulerit.* Nec nos aliter Crucem honoramus, quàm honore ad Christum tanquam prototypum, terminato: Nam honor imaginis, aut reliquiarum non finitur in illa, vel his, sed in exemplari primigenio. Quàm autem assurgant Caluinistæ, & omnes Sectarij, ad Christum, visa portione aliqua primæ Crucis, aut Crucis imagine, disces ex illis, quæ iam alibi disputata sunt. Assurgunt ad Christum, eiusque venerationem non secus ac Iudæi assurrexerunt ad cultum eius; Iudæi, inquam illi, qui cum *gladiis, fustibus & laternis* venerunt, vt Iesum comprehenderent.

Lib. 1. de Cruce cap. 100. & lib. 2. cap. 68.

Addit Iunius: *Aliud est de sensu & motu nostro agere, aliud de officio nostro. Sensus noster moueretur Cruce, officium verò nostrum esset, vt confestim seposita carnali ratione Crucis ad Christum venerandum & adorandum raperemur.*

Si

Si bene vim & efficacitatem rationis huius assequor: ea est ista. Si eum, qui omnibus insitus est, pietatis sensum spectes; tum crucis conspectu moueretur quoduis; quamuis durum & praeferratum pectus. At si τὸ ἀρέσκον & τὸ αἱρετικὸν Caluinianum considerare velimus, è vestigio arripienda est bipennis vel securis, & quidquid Crucium vel reliquiarum Crucis sese offert, diffindendum & exterminandum: Hoc enim est ad Christum ascendere, sed ascensu Caluiniano, qui reipsa est descensus ad Orcum.

Postquam Iunius futuris suis notatiunculis hoc solidissimum fundamentum substrauit; frustillatim carpere incipit Bellarmini rationes, quibus probat crucem esse venerabilem; quarum prima, vt suprà dicebam, est, quod crux fuerit altare summi sacrificij, scala ad regnum: instrumentum redemptionis, & deuicti Diaboli: ex quo sequitur, inquit Bellarminus, crucem illam veram à Deo mirificè fuisse honoratam, & nobis omnibus amabilem & venerabilem esse debere.

Iunius. *Negatur consequens atque distinguitur.* Mira responsio. Si absolutè negas, vt quidem negas, non ergo distinguis. Si distinguis, non ergo absolutè negas. Sed audiamus distinctionem. *nisi fortè materia transiens actu illo transeunte honorem transeuntem dicatur accepisse, quod agnoscimus de ligno.* Ineptiae Iunianae. Ineptè vocatur crux *materia transiens*, cuius enim respectu fuit *materia transiens?* Num respectu sacrificij in cruce immolati? At hoc dici nequit; quia altare, in quo sacrificium peragitur, nec est permanens, nec transiens materia sacrificij. Num respectu honoris, quem Christus ligno illi habuit, dum illud ex omnibus aliis tanti sacrificij altare, & redemptionis nostrae instrumentum esse voluit? Sed nec hoc dici potest. Quia lignum, etiam vt honoris obiectum, non est res transiens, sed permanēs: Imò etiam vt altare summi sacrificij, scala ad regnum, & instrumentum redemptionis, res permanens est; neque enim peracto sacrificio, necessariò definit altare; etiam qua tale. Et scala, post ascensum quoque vera scala manet; & instrumentum prostrati hostis, puta gladius, arcus, & est & verè dicitur instrumentum, etiam post partam victoriam.

Verè igitur Crux licet Christo de Cruce deposito, cultu digna fuit; quia id, quod antea fuerat, mansit; & iam quoque cultu digna est, licet non integra, sed in varias particulas concisa, quia sunt Altaris & instrumenti sanctissimi particulae.

Accipiamus autem grata mente & manu, quod nobis Iunius liberaliter largitur. Ait, *Crucem à Christo accepisse honorem transeuntem; honoratum enim fuisse, dum Christus in ea pependit.* Si hoc ita est; num piaculo

sese

ſeſe obſtrinxiſſet, ſi quis in Caluariæ monte præſens, ipſe etiam Crucem honoraſſet? (tametſi certus ſum, Iunium, vel quemuis alium Caluiniſtam, ſi paſsioni Chriſti interfuiſſet, Cruci non alium honorē habiturum fuiſſe, quàm quem habuerunt tam Cruci, quàm crucifixo Iudæi.) An nefas fuiſſet honorare lignum, quod ab ipſo Chriſto, honore, quamuis, vt loquitur Iunius, *tranſeunte* afficiebatur? Si tunc crux licitè à quouis honorata fuiſſet, quando reipſa peragebatur propitiatorium illud pro totius mundi peccatis ſacrificium, cur iam honor cruci, vel crucis reliquiis delatus, illicitus eſſet; cum ſemper verum ſit, Crucem fuiſſe & eſſe altare ſummi ſacrificij, & inſtrumentum redempti generis humani? *Aliud eſt honor tranſiens, & honor permanens,* inquit Iunius. Non examinabo hanc honoris diſtinctionem, multò minus exagitabo; quia fortaſsis bonus ei ſenſus ſubiici poſſet, ſaltem ſimpliciter ſpectatæ, ſi non, vt eſt à Iunio; qui in hac ſua diuiſione abſq; vlla iniuria videri poteſt, honorem & cauſſam honoris imperitè confudiſſe; & per honorem tranſeuntem actum; per permanentem verò cauſſam honoris intellexiſſe. At quidquid ſit de Iunio, Chriſtus in Cruce pendens, duo, reſpectu Crucis, fecit; Nam & Crucem honorauit, qui honor, finito illo ſacrificio, deſiit; eandemque Crucem honorando honorabilem effecit; quæ, vt ita loquar, *honorabilitas,* ſeu cauſſa honorandi permanens eſt, & perennis; facitque, vt Crux ſemper meritò honoretur, quia ſemper eſt honorabilis; hoc eſt, ſemper cauſſam honoris ſibi deferendi complectitur, quia ſemper hac dignitate & præcellentia fulget, quòd Chriſtum tulit, quòd ſummi illius ſacerdotis altare, & inſtrumentum noſtræ Redemptionis fuit, vt alios præſtantiæ, ſiue honoris exhibendi titulos taceam.

Rex ſi lapidi extra ordinem pro ſolio inſederit ex occaſione, inquit Iunius, *honor tranſiens eſt lapidi* (non abnuo) *poſtea manet inhonorus lapis, ita & lignum, & alia omnia.* Reſpondeo, quidquid ſit de Rege vel Principe politico, aliam eſſe rationem Chriſti Domini; qui vſu & contactu ſuo ſanctiſsimo, res quibus vtebatur, & quas attingebat, venerabiles efficiebat propter infinitam ſuam dignitatem, præſtantiam, & ſanctimoniam: Hoc ipſo enim, quòd Chriſtus rem aliquam vſurpabat, vel tangebat, vel miraculo quopiam nobilitabat; peculiarem quandam habitudinem ad Chriſtum acquirebat, & non communi, ſed arctiore quodam nexu aliquid Chriſti eſſe incipiebat. Quod minimè accidit in iis, quæ Principes politici, vſurpant vel contingunt: Nec mos honoris ciuilis iſtud habet vt hoc ipſo, quòd Rex aliquid quomodocunque vel vſurpauit vel tetigit, illud honorabile efficia-

tur. Quanquam non desunt exempla, etiam apud Ethnicos, eorũ qui Regum & Principum exuuias & instrumenta, vt chlamydes, gladios, coronas, tribunalia, domicilia, summo in honore ac pretio habuerint, & non secus ac ipsos quondam Principes coluerint. Nec loquor de illis Regibus, quos vitæ sanctimonia & innocentia morum supra alios extulit, (nam de his alia est ratio) sed & de illis, qui sola iustitiæ & fortitudinis, aliarumque virtutum ciuilium & moralium laude commendabiles vixerunt.

Potest quidem, inquit Iunius, *lapis, cui Rex insedit, honoratus esse, & amabilis & venerabilis*, sed æquiuocè, *id est, non religioso honore, & amore, & veneratione, sed humano sensu & affectione solùm, quem in rebus diuinis & sacris omnino opus est conquiescere, & à plenitudine honoris, & amoris, & venerationis diuinæ absorberi.* Nouam Ethicam audio: Honorem ciuilem *æquiuocè* esse honorem. Quis igitur propriè honor est, si iste omnium notissimus & vsitatissimus æquiuocè honor est? An non formalis ratio honoris ciuili honori competit? An non est testimonium internum & externum opinionis, quam habemus de alterius præcellentia, siue in virtute & eruditione, siue in diuitiis, siue in functione quapiam, siue in his omnibus sita?

Deinde, quàm ciuili affectu, amore & veneratione Caluiniani in Crucem Domini ferantur, multis documentis perspicuè sæpius demonstrarunt; idemque hic palam facit Iunius, dum ex Caluiniana ciuilitate & affectione in sanctissimam Domini Crucem, inficiari non veretur, lignum Crucis in rerum natura exstare. Nimis profectò ciuilis est iste honor & amor: Accipio autem, quod ait; humanum sensum & affectionem, atque adeo ciuilem honorem in rebus diuinis & sacris debere conquiescere, hoc est, desinere, quippe cui ibi non sit locus, cum res sacræ & diuinæ celsiore cultus genere sint afficiendæ. Ex hoc ergo Iunij dicto sic argumentor: Crux Christi pertinet ad res diuinas & sacras; est enim altare Christi. Est scala ad regnum: est Instrumentum, quo Christus capitalem salutis nostræ hostem deuicit: non igitur humano, hoc est, ciuili, sed religioso honore affici debet; quælibet enim res dignitati & excellentiæ suæ conuenienter honoranda est, at crucis dignitas non est ciuilis & humana, sed religiosa, & à Christo Deo, diuina; ergo religioso cultu colenda est, non propter se; sed propter illum, qui in ea nobis salutem restituit.

Ait Bellarminus, Christum Crucem sponte elegisse. Non diffitetur Iunius, sed negat, *elegisse eo fine, vt à nobis coleretur, verùm vt in ea redemptionis nostræ opus perageret.* Vt hoc ita esset, an ideo Crux colenda non

non esset? Nec humanam naturam filius Dei assumpsit eò fine potissimùm, vt à nobis colatur. An eam ob rem nullus ei cultus deferendus est? Etiam in Eucharistia non præcipuè hoc spectauit Christus, vt à nobis honoretur; sed vt sit animarum nostrarum cibus & potus. An ideo nullum reuerentiæ signum præsenti Christo sub speciebus panis & vini exhibebimus, & Lutheranorum rusticitatem imitabimur, qui cum fateantur Christum verè in cœna præsentem; nullo tamen cultu eum dignantur, nec vt dignentur, vllis argumentis induci queunt? Quorum agrestem inurbanitatem vel potius superstitionem ipsi Caluinistæ crebrò rident, & in his Beza, qui ait; necessariò sequi, Christum in Eucharistia esse adorandum, si eo, quem Lutherani statuunt modo, sit præsens: *Nec valet hæc exceptio*, inquit Beza, *non iussisse Dominum corpus suum in pane adorari, sed accipi & comedi. Regeretur enim, exprimi non oportuisse, quòd per se satis intelligatur, nempe nunquam accedendum esse ad Christum, præsertim reipsa præsentem, sine adoratione, vt qui sit Deus.* Ita Beza: quæ nostro quoque instituto seruiunt: nam nil necesse fuit speciatim exprimere, crucem Christi coli debere, quia per se intelligitur, & generali illo mandato, quo iubemur, Christum colere, implicitè comprehenditur, cum ad cultum omnium eorum referatur, quæ peculiarem ad Christum habitudinem habent.

Beza in Resp. ad Articulos Torgenses.

Ait Bellarminus, lapidem illum Genesis vigesimo à Patriarcha Iacob erectum & inunctum, & domum Dei vocatum; fuisse figuram Crucis Christi. Iunius. *Falsum est lapidem fuisse vocatum domum Dei, non lapidis, sed loci nomen est Genesis vigesimo octauo.* Audi ergo Scripturam: *Lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* An non expressè domus Dei de ipso lapide hic prædicatur? Et ne Iunius in nostrum Interpretem incurrat, quasi parum fideliter Hebræa verterit, accipiat Iunius suam & sui Tremelij versionem, quæ est ista. *Tum hæc strues lapidum, quam disposui in statuam, erit domus Dei.* An non vides ab ipso itidem Iunio *lapidem* seu *struem lapidum*, nominari *domum Dei?* At ibidem dicitur; nomen vrbis, seu, vt Iunius vertit, loci illius, appellatum *Bethel*, hoc est, *domum Dei:* Non ignoro. Interim & hoc scio, ipsum lapidem à Iacobo erectum nominari *domum Dei:* quod mihi & Bellarmino satis est ad coarguendam effrenem Iunij audaciam.

Fuisse Crucem instrumentum liberationis, docent, inquit Bellarminus, plurimæ figuræ in veteri Testamento antegressæ, quas collegit Damascenus: *Sed collegit tumultuariè*, inquit Iunius; (imo insigni

De his fig. lege cap. 4. & seqq. lib. 1. de Cruce. Damasc. l. 4. de fide cap. 12.

insigni studio & diligentia) *& ἀλληγορίζων plus satis, & coacta interpretatione.* Ita iste de Damasceno, qui suis in Animaduersionibus Bellarmino exprobrare audet, quasi parum honorificè de sanctis Patribus aliquando loquatur & scribat: cum ipse passim in sanctos Patres, vt & hic in Damascenum omnes impudentiæ suæ habenas laxet: neque enim in solum Damascenum iniuriosam linguam stringit, sed in plerosque alios celeberrimos & vetustissimos Ecclesiæ Doctores, quorum vix vllus est, qui de hisce Crucis figuris, ex antiqua lege repetitis, non faciat mentionem: cum enim, Apostolo teste, prisco illi populo omnia in figura obtigerint, dubitandum non est, quin etiam hoc huius sanctissimi & omni ex parte admirandi sacrificij, in altari Crucis immolati, atque adeo ipsius Crucis, tanquam altaris, variæ figuræ præcesserint. Neque quisquam hactenus exstitit, qui sanctis Patribus nimium allegoriarum studium in hoc argumento exprobrarit; aut Damascenum pro *tumultuario* scriptore habuerit, præter istum, qui adeo tumultuarius non est, vt absque tumultu omnia, quæcunque in buccam veniunt, effutiat.

Sed quia Damascenum Monachum de figuris Crucis disserentem Caluinista ægrè audit, audiat Ioannem Cantacuzenum Imperatorem Constantinopolitanum.

FIGVRÆ CRVCIS ET VATICINIA,

EX APOLOGIA TERTIA CANTACUZENI contra Mahometanos.

QVONIAM de Cruce nos in superioribus dicturos esse promisimus, nunc quoque de hac audias. Quemadmodum enim ea, quæ Christum spectant, ab initio prædicta sunt à Mose, Dauide, & Prophetis: dicta sunt autem obscurè quodammodò, & tectè: veruntamen sicut de passione, & morte illius per tot prophetias exposuerunt, sic etiam de Cruce. Et nunc, qua ratione hoc factum sit, perpendito. Cum Moses Iudæos Ægypto educeret, exiuerunt Ægyptij, & insecuti sunt eos, quos & assecuti sunt apud mare rubrum. Hebræi autem timore correpti, de vita desperauerunt. Moses itaq; orauit ad Dominum; & dixit illi Deus. Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël, vt accingantur. Et tu tolle virgam tuam, & percute mare, & transibunt filij Israël, per siccum. Moses igitur accepta virga, percussit mare ictu recto, & diuisa est aqua maris, & stetit murus à dextris, & murus à sinistris, & transiuit omnis populus per siccum.

Exod. 14.

ium. Ægyptiis verò hos persequentibus, & super siccum ingressis, dixit ad Mosen Dominus. Et rursum percussit mare virga sua, non quidem ictu recto, vt prius, sed transuerso: & aqua in locum suum reuersa, submersit Ægyptiorum regem Pharaonem cum omnibus curribus suis, & vniuerso exercitu.

Tunc sanè typus crucis per virgam Mosis ligneam hoc edidit miraculum: & sectio maris typum crucis designauit: virga verò ipsius ligni naturam. Insuper sicut Moses per typum crucis & ligni per mare liberauit Hebræos ex tristi Pharaonis seruitute & tyrannide: sic Christus per crucem, & potentiam illius liberauit hominem ex tristi seruitute, & potestate diaboli.

Præterea discedente Mose cum populo, in quodam loco Mara nuncupato, cùm non inuenirent aquam ad bibendum; (amaræ enim erant aquæ loci illius) ostendit Deus Mosi lignum, quo in aquas iniecto dulcescere cœperunt, & sic omnis Iudæorum populus saturatus est. Hoc nimirum innuente miraculo, quod diaboli, quæ in mundo fuit, amarulentia esset dissparitura, & immutanda per crucem in magnam dulcedinem & lætitiam. Exod. 15.

Porrò progrediente Mose per desertum cum populo, serpentum multitudo in locum quendam incidit, quibus periclitabatur populus. Moses verò, Dei iussu, fecit serpentem æneum, lignumq; rectum terræ infixit; cui serpentem transuersum affixit; omnesq;, qui à serpentibus icti fuerant, viso æneo illo, sanabantur; nec vllus erat, qui à serpentibus ictus, æneo viso, non sanaretur. Nimirum, & illo miraculo hoc innuente, quod erectum lignum, affixusq; illi transuersus serpens crucis typum denotabat: æneusq; serpens haud dubiè Christi typus erat. Quemadmodum enim serpens hic formam quidem serpentis habuit, venenum verò nequaquam: sic etiam Christus homo quidem erat futurus, sed peccati expers: Et quilibet, diaboli morsu impetitus, si Christo respecto, in illum crediderit, saluabitur: qui verò in illum non respexerit, nec crediderit, propter peccatum morietur. Num. 21.

Insuper bello inter Iudæos, cum Amalechitis exorto, extendente ad Deum manus suas, Hebræorum milites Amalechitis superiores erant: hoc autem manus demittente, Amalechitæ Israëlem repellebant. Præcepit igitur Moses, vt se manus extendentem iuuarent, donec in vniuersum deuictus esset Amalech. Ecce etiam hac re manifestè crucis typum præferebat, & eiusdem potentiam. Exod. 17.

Sed & Beatus ille Iacob nepotibus suis benedicturus, manus suas in modum crucis transuersas iisdem imposuit; crucis typum hac forma ostendens. Gen. 48.

Porrò, manifestius, clariusq;, his Deus per Prophetam Esaiam dicit; Gentes, & reges, qui tibi nõ seruierint, peribunt, & gentes solitudine desolabuntur, in cupresso, pinu, & cedro simul, vt glorificent locum sanctum meum, & locum pedum meorum glorificabo. Attende igitur, & vide rem nouam, & admirabilem. Quemadmodum enim Christi passionem prædixerunt Prophetæ, & non solùm hanc, verùm etiam eiusdem species; vt; Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: Et; Foderunt manus meas, & pedes meos; & ; diuiserunt sibi vestimenta Isa. 60. Psal. 21.

mea; & super vestem meam miserunt sortem: & alia his similia. Sic etiam crucis illius typum demonstrauerunt, & quod per hanc abolenda esset diaboli tyrannis.

Vide lib. 1. de Cruce cap. 5.

Sed & genus ligni, Esaias notauit dicens: In cupresso, pinu, & cedro simul glorifices locum sanctum meum: & locum pedum meorum glorificabo. Ex his enim tribus ligni generibus crux compacta est: vnum quidem erectum; secundum transuersum; tertium verò inferius, cui affixi sunt pedes Christi. David verò sic exclamat; Exaltate Dominum Deum vestrum, & adorate scabellum pedum suorum; quoniam sanctus est.

Nunc verò de Cruce, ea, quæ dicta sunt, sufficiant. Verum & Iacob benedicens, vt dictum est, filiis Ioseph, manus transuersas illis imposuit, & in modum crucis iisdem benedixit: Prævidentes enim Prophetæ, quod per crucem mors esset abolenda & deiiciendus diabolus, prophetauerunt de hac, hanc adorauerunt, & ceu à longinquo illam venerati sunt, veluti & nos in præsenti facimus.

Hucusque Cantacuzenus, qui forsan ipse etiam nimium ἀλλοτριόζειν videbitur Iunio. Quid igitur agemus? Num de Crucis gloria omnino obmutescemus, vt à Iunio gratiam ineamus? alioqui vix est, vt eum nobis propitium fore speremus, quandiu Crucis laudes decantabimus.

Diabolum fuisse à Christo victum per Crucem, probat Bellarminus ex cap. 2. ad Coloss. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis tulit, &c.* Tropista noster: *Cruce Diabolum vicit, id est, morte Crucis, vel quam oppetiit in Cruce factus pro nobis exsecratio μετωνυμικῶς.* Imò & Cruce, velis nolis, nam hoc sancti patres palam asserunt, quibus potius inhærendum, quàm istis Nouatoribus, gloriæ Crucis truculentis hostibus; Et ratio idem suadet; quia illo victus est Diabolus, quod Christus, tanquam instrumentum deuincendo Diabolo adhibuit: Crux est eiusmodi, ergo & cruce victus est Diabolus.

Lib. 1. de Cruce cap. 54.

Lege lib. 1. de Cruce cap. 55.

Deinde Crux fuit instrumentum mortis Christi, per crucé enim ei mors illata est: quod, nisi me bona de Iunio decipit existimatio, non inficiabitur. Ergo Crux quoque fuit instrumentum, quo Diabolus deuictus est: quia quod est instrumentum instrumenti, id etiam est instrumentum respectu effectus, qui inde consequitur. At Iunius libenter concedit morte Christi, tanquam quodam instrumento, deuictum esse Diabolum, oportet igitur, vt eandem prærogatiuam ipsi quoq; Cruci largiatur.

CAPVT

CAPVT II.

Defenditur secundum Bellarmini argumentum pro cultu Crucis Dominicæ.

SECVNDVM argumentum ducit Bellarminus à mysteriis in ipsa & per ipsam Crucem significatis. *Antecedens falsum & consequens*, inquit Iunius; Qui antecedens & consequens somniat, vbi nec antecedens nec consequens est, quandoquidem Bellarminus hanc suam secundam rationem ad nullam argumentationis speciem redegit.

Forsan tale argumentum somniando efformabat Iunius. Cruce Christi varia significabantur & significantur mysteria; ergo est venerabilis. Cuius antecedens negat; *nam in illa*, inquit, *Cruce, in qua passus est Christus, non significabantur mysteria, sed mysterium fiebat redemptionis nostræ.* (Imò & hoc & illud: licet ringaris. Tradunt id sancti Patres. Cur non refellisti, si poteras?) *Aliis, si fortè, crucibus significetur, at illa Cruce non fuit significatum.* (Dicis, at nihil probas, ideo multa dicendo, nihil dicis.) *Imò tollit beneficium Christi, qui illa cruce mysteria significata pronunciat.* Ita tu, ego subiicio; sed sancti Patres hic apud Bellarminum, & in Opere de sancta Cruce, palam dicunt, primam illam Christi Crucem fuisse variorum mysteriorum significatricem. Quid sequitur? *Ergo sancti Patres sustulerunt beneficium Christi.* Animaduertis, Iuni, quo inuerecundiæ te rapiat tuus ille tam præceps quiduis, tanquam ex tripode, asseuerandi æstus?

Lib. 1. de Cruce cap. 3. & 14.

Nec est, quod exspectes, Bellarminum, vt suspicaris responsurum, *se loqui de Cruce, prout nunc est, non prout tunc Christus pependit in Cruce.* Nam Bellarminus loquitur de Cruce, in qua Christus passus & mortuus est: per hanc varia mysteria significata dicit: quæ licet hodie integra non exstet, exstat tamen in suis partibus, exstat item in suis imaginibus, hoc est, in aliis Crucibus, quæ ad similitudinem primæ illius efformantur, perque illas eadem mysteria nobis significat.

Porrò Bellarminum *tria simul confundere, quæ reipsa diuersa sint, Crucem materialem, in qua Christus mortuus, & Crucem mysticam, Christo & Ecclesiæ communem, & mortem Christi in Cruce*, mendacium est Iunianum: nec longa refutatione eget; notior est Bellarmini eruditio, quàm vt quis eruditior suspicari queat, Iunium non mentiri & calumniari, quando hæc tam inepta de eruditissimo Cardinali chartis illinit.

Oggannit Caluinista, *Crucem nec agere, nec significare.* Iterum probationem desiderare cogor ab hoc nostro Battologo. Ait tantùm, nihil pro-

probat. Fac tandem modum Cenologijs tuis. Instrumentum est: vt sancti Patres testantur, ergo agit. Mysterium est, iisdem testibus, ergo significat.

Illa ex Epist. ad Eph. cap. 3. de latitudine, longitudine, sublimitate, & profunditate videntur Iunio *nimiu ἀλληγορούμενα: nec quidquã ad rem facientia.* At nõ sanctis Patribus, quorũ iustior statera, quàm vllius ex Caluinistarum turba. Crucem etiam Hieroglyphicis AEgyptiorum notis vitam venturam significasse affirmat Bellarminus. Quid Iunius? *Hactenus subtiles allegoriæ, quæ nihil vnquam probant. Si docent, ieiunè & infirmè docent. Tela sunt aranei.* Tuæ nimirum in Bellarminum obseruatiunculæ & rancidæ annotatiunculæ.

Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 49. & seqq.

Ex allegoriis nihil probari falsum est; refutatur hoc ipsorum sectariorum quotidiano exemplo, qui à rebus in veteri testamento per allegoriam typumque dictis, argumenta ducunt ad res in noua lege geri solitas, vel gerendas: vt de sanctis Patribus, quibus hic mos est vsitatissimus, nihil dicam; qui & ex ipsis Ethnicorum vel monumentis vel ritibus præsidia Christianæ religionis petere solent, vt ex Clementis Alexandrini, Origenis contra Celsum, Eusebij & aliorum lucubrationibus manifestum euadit. Nam singulari prouidentia Dei factum est, vt apud omnes propemodum nationes, quantumuis densissimis tenebris immersas, veritatis seu scintillæ seu radij promicarent, nominatim de Cruce, eiusque gloria & maiestate, vt copiosè ostendi in Opere de sancta Cruce.

Lib. 1. cap. 49. & seqq.

CAPVT III.

Vindicatur à calumniis Iunianis tertium Bellarmini argumentum.

TERTIVM argumentum sumit Bellarminus ab inuentione sanctæ Crucis. Iunius. *Nos & inuentionem Crucis, & testimonia ex ea negamus.* Quid ab huius negationibus tutum erit, si negare satis erit? Quid tam firmum testatumque proferetur, si historia de Inuentione sanctæ Crucis vna negationis litura expungatur? Romam à Romulo, & Constantinopolim à Constantino conditam esse, paulò pòst negare iubebimur, nisi huic negandi prurigini fibula imponatur: quantis enim testimoniis quàm probis & probatis stabiliatur Historia de Inuentione sanctæ Crucis, (vtcumque in minutioribus nonnullis aliqua narrationis diuersitas intercurrat,) intelliget, quisquis legerit, quæ hac de re fusissimè disputaui in primo Tomo de S. Cruce.

Lib. 1. c. 62. 63.

Ait

Ait Bellarminus, admiratione dignum esse, quod Deus non permiserit lignum Crucis demergi in mare, vel flammis absumi. *Addendum*, inquit Iunius, *vel pluuia, sole & cæli iniuriis, vel carie putrescere, & similia multa.* Adde quidquid volueris, non moramur. Peculiari nutu Dei accidisse constanter credimus, vt lignum sanctæ Crucis tot infensissimorum hostium insidias & violentiam euaserit, terraque obrutum quasi conquieuerit, donec securè in publicum procedere licuit.

Decretum Gelasij Pontificis nil ad probatas de Crucis Inuentione narrationes ex sanctis Patribus, priscisque Historiographis desumptas. Fictitias quasdam, & tempore Gelasij nouiter excogitatas relationes repudiat, vt visum in Opere de sancta Cruce.

Vix esse vllam circumstantiam, quæ inter eos conueniat, qui de Inuentione Crucis Dominicæ scripserunt; mendacium Iunianum est crassius omnibus tucetis ab aliquot annorum spatio in Leidensi macello venum expositis. Iterum prouoco ad locum citatum Operis de sancta Cruce.

Ait Bellarminus. Crucem altissimè sub terra fuisse absconditam. Iunius. *Vbi, quæso, & quando?* In monte Golgotha: & statim, postquam corpus Christi de Cruce fuit depositum. *Plerosq; dicere Crucem non in Caluariæ monte, sed in priuato prædio Iosephi Arimathæensis sepultam fuisse*; Pseudologiis Iunianis libenter accensebis, si legeris, quæ hac de re scripsimus in Opere de Cruce. Et vt hoc dicerent, non tamen idcirco affirmarent, Crucem non fuisse sepultam in monte Caluariæ, cum hortus Iosephi fuerit pars huius montis.

Ridet Iunius Baronium, qui ex Rabbinis docet, instrumenta supplicij sepeliri consueuisse iuxta eum, de quo supplicium sumptum esset. At iam pridem noui Iunium esse valentiorem irrisorem, quàm refutatorem. Et mirari subit, Rabbinorum auctoritatem hîc tantopere à Iunio eleuari, cum totam propemodum Biblicam suam versionem, & in eam notas ad Rabbinorum stomachum & palatum attemperauerit. Quæ huius rei caussa? An non immane in sacrosanctam Crucem odium? Nec tamen solo Rabbinorum testimonio hic mos nititur, sed & Actis Christianorum Martyrum, in quibus sæpe proditur instrumenta supplicij cum martyribus fuisse tumulata.

Lege lib. 1. de S. Cruce cap. 37.

Obiicit Iunius. *Malefici hac ratione laboriosius fuissent sepulti, quàm viri strenui & fortes: quantum insuper spatium Cruces capere oportuit?* Grauia profectò argumenta, & digna, ob quorum inanitatem totius antiquitatis memoriæ te opponas: nec opponas quomodocunque, sed & procaciter insultes. Fossam modicam malefico fodere, eumque

ſimul cum inſtrumento necis in eam abſque vllo apparatu conicere, multò procliuius & præſtitu facilius eſt, quàm opulento & diuitiis circumfluenti monumentum in petra excauare; & in corporis aromaticam conditurum non leues expenſas facere. Nec Cruces tam ingentes erant, vt nulla ſcrobe capi poſſent.

Quorſum tres Cruces in eodem prædio? inquit Iunius. Expedita reſpõſio. Quia tres crucibus illis enecti non procul inde fuerant humati. *Ergo & latrones ibi ſepulti fuerunt.* Omnino, in monte Caluariæ, licet non in vicino Ioſephi horto. *Quando depoſitæ Cruces?* Eadem veſpera, qua corpora fuerunt depoſita. *At hoc non eſt credibile.* Cur non? An tantæ molis tres Cruces deiicere? *Falſum eſt* deponi ſolitas Cruces. Tu dicis, non probas. *Cippos ſaltem ſeu ſtipites relictos* ais. Num tu nos ſtipites exiſtimas, qui in ſolis nudiſque aſſeuerationibus tuis conquieſcamus? *Non potuerunt deponi eo die, nam ſerum erat.* Nihil efficis. Breuiſsimo temporis ſpatio deponi poterant. Nec milites illi Iudæi erant, ſed Romani, qui nulla Sabbathi religione tenebantur. *At Iudæorum intererat ſtare Crucem Chriſti, vt validius reſurrectionem negarent.* Sed qui non credebant reſurrecturum, tametſi aliquid de prædictione reſurrectionis inaudierant, haud ægrè paſsi ſunt tolli Cruces, ne earum ſpectaculum viatoribus iniucundum, ſolennitatem Paſchalem interturbaret.

Quærit Caluiniſta: *Quando refoſſæ Cruces?* Sub Imperio Conſtantini. *At ſcriptores non conſentiunt de anno Imperij.* Validus ſanè aries deiiciendæ vniuerſæ Chriſtianitatis de Crucis Inuentione exiſtimationi. Vix eſt vlla in Chronologia quæſtio, de qua non maximopere inter doctos diſceptetur. Necdum conuenit de anno Natalis Chriſti, baptiſmi, paſsionis. An ideo non natus, baptizatus & paſſus Chriſtus propter has Chronologorum controuerſias? Nam quòd garrit *de Syluestro Pontifice cum Helena Hieroſolymam profecto;* id monitione Iuniana haud egebat: quia fabula iam pridem ab aliis detecta eſt. Sed num idcirco inuentio ſanctæ Crucis fabuloſa erit, quia aliquid à vero alienum irrepſit? In Hiſtoriam Græcam & Romanam quot irrepſerunt mythologiæ? An propterea vniuerſa erit mythologica?

Chronicon Euſebij nominat Caluiniſta *opus mendoſiſsimum, & innumeris ſciolorum ſuperſtitioſorumq́ꝫ hominum iniuriis infectiſsimum.* Vtinam viueret Iunius, quàm ſibi gauderet & plauderet, viſo Euſebiano Chronico nunc à Ioſepho Burdone pluſquam in Burdonicum nitorem reſtituto. Quid dicam? Hebent & caligant oculi mei ad tantum illum ſplendorem, quem ſuſpicere queo, aſpicere nequeo, donec prodeat, breui forſan proditurus, qui hunc fulgorem

gorem ex Arcadia coruſcantem oculis noſtris tolerabilem efficiat.

At quid longis logis opus? *Suppoſititia ſunt Cruces; ſuppoſititia teſtimonia.* Sola Iunij frons pudeſcere neſcia, non eſt ſuppoſititia, ſed natiua & gennina. Bone Deus, in quæ tempora deuenimus? Quid ratum, quid immotum erit, ſi Crucis inuentio tot ſæculorum conſenſu teſtatiſsima non modò in dubium reuocetur, ſed & penitus pernegetur, omniumque Patrum & hiſtoricorum teſtimonia ne vnius quidem aſsis æſtimentur?

Ait Bellarminus, obſeruatione dignum, quòd Deus eo tempore Crucem inueniri voluerit, quo tutò poterat coli. Iunius. *Deus, an Dei hoſtis & ſalutis noſtræ.* Deus, ne dubita, Crucem inueniri voluit, & coli eo tempore, quo tutò coli potuit. Nam ſi penes Diabolum inueſtigatio Crucis fuiſſet, non magis eam quæſiuiſſet, quàm quærat hodie grex Caluinianus. Nec magis colendam propoſuiſſet, quàm eam ad publicam venerationem Iunius aut Beza expoſuerint. Si hoc negotium in Cacodæmonis manu fuiſſet; hodie in terræ viſceribus Crux abdita deliteſceret, vel iam pridem in cineres abiiſſet.

Quærit, *num Deus coli voluerit veram Crucem, an ſimulacbrum ementitæ Crucis?* Reſpondeo, veram Crucem; illam videlicet, quæ inuenta eſt; vera autem Crux inuenta eſt, non ficta eius ſpecies. *At cultus quem Pontificij Cruci deferunt, eſt ſuperſtitioſus, imò impius.* Cuculum audio. Sæpius iam dicta, & nunquam vel tenui argumentulo probata, audacter & intrepide regerit. Dic tandem aliquid *de tribus capellis?*

Miracula in Crucis inuentione patrata reiicit iſte indiſcriminatim omnia. Rationem dat: *quia miracula illa ſunt Chriſto & Antichriſto communia ex ſcriptura teſtimonio.* Monſtra, ſodes, locum, vbi ſcriptura dicat, vera miracula, cuiuſmodi reſuſcitatio mortuorum, & inſanabilium virtute naturali morborum curationem, & id genus alia, eſſe Chriſto cum Antichriſto communia?

Plurimum *inter ſe pugnare hiſtoricos in recenſione horum miraculorum,* pſeudologia Iuniana eſt. Videatur opus de ſancta Cruce; vbi fusè de his miraculis. Conuicia ſunt, quæ ſequuntur. I. *Ruffinus Auctor indicij & eruditionis inops.* II. *Temerarius miraculorum, quæ hic illic in vulgo audiuerat, buccinator.* Si quid de Crucis inuentione ad ſaliuam Iunij ſcripſiſſet, vir plurimæ eruditionis & acerrimi iudicij eſſet; nunc vix dignus habetur, qui Iunio matulam porrigat.

Cæteri, inquit Caluiniſta, *ex Ruffino acceperunt.* Et ne quis ambigat, num vera canat Iunius, nouerit Iunium interfuiſſe, quando reli-

qui Patres & Historici Ruffinum expilarunt. visa memorat; idcirco credi digna. *Et quæ Ruffino habeatur fides?* Quæ tibi habeatur fides; qui post tot secula Ruffino litem moues de re gesta, à qua ipse haud longo interuallo abfuit?

Nec modestior est Caluinista in S. Paulinum, cuius virtus & doctrina in Ecclesia, splendidissimæ facis instar, rutilat; & in alios à Bellarmino citatos. Vocat ironicè *diligentissimos miraculorum praecones, sed de triuio.* Conuicium, quale vix ex triuio formides. Et tamen ex biuio Caluiniano ingruit. Cuius generis & hoc; *istos omnes cantilenas miraculorum simplicitate maiore, quàm iudicio & accuratione explorationis protulisse.* Soli Caluinistæ iudicio pollent, quia omnia simul tollunt, & vno ictu succidunt. Reliqui omnes fungi sunt, præsertim si de miraculis concionentur, quorum mentio odiosa sectariis, quia eorum se prorsus inopes ac infæcundos cernunt: propterea subiicit Iunius; *apud Paulinum, Seuerum, Sozomenum, Nicephorum vix folium vnum posse excuti, quin de eo decutiatur miraculum. Ferax*, inquit, *seculum miraculorum δοξασῶν, & ferax auctorum manus in iis perscribendis ...* Nil nisi contumelias in lucubrationes veterum video, quas iste insectatur, quia non resipiunt Caluinismum: quem si resiperent, iam, vt ait ille, *diuarentur.*

Liberè dico, quisquis sit, qui Patribus priscis in conscribendis librorum monumentis iudicium abrogat; is aut nullius, aut peruersi & obstipi est iudicij. Sed Nouatores aliter facere non possunt, quàm vt miraculorum, & eorum, à quibus litteris consignata sunt, fidem & auctoritatem eleuent ac deterant. *At Chrysostomus non meminit miraculorum.* Quid tum? Meminerunt alij. His fidem habeto. Si Chrysostomus meminisset, num crederes? Non magis, quàm nunc. Non plus à spiculis tuis immunis esset Chrysostomus, quàm Paulinus & alij. Nam quod titulo Crucem agnitam scribit; minimè aduersatur aliis, vt ostendit hic Bellarminus, & nos in Opere de sancta Cruce. *Ruffinum à Cruce titulum auulsisse, vt miraculis viam sterneret*, Iunianis mendaciis accenseas licet, & huius itidem accessione syllabum eorum adauge. Licet enim, præter Ruffinum, alij itidem sint, qui titulum seorsim repertum tradant, idque ipsum profiteamur in Ecclesiastico officio, in Crucis inuentæ festo; nemo tam idcircò ob causam tradit, vt miraculis edendis viam aperiat; nam iis nihilominus in crucis agnitione locus fuit; vt docet hîc Bellarminus. Mox transformat Iunius S. Ambrosium in *declamatorem Rhetoricum*: quia dixit à clauo Crucis Christi *Dæmones inuisibili potestate torque-*

torqueri: hoc ait Caluinista ab Ambrosio dictum, *non ad docendum, sed ad mouendum & delectandum.* Scilicet sancti Patres falsis affirmationibus auditores mouere & oblectare studebant, & res religionis declamationibus Rhetoricis supra verum efferebant, & ex orthodoxis doctoribus *aretalogi* euadebant.

Iterum Iunio suras prębere cogũtur S. Paulinus, Sulpitius, & alij; qui ea, quæ de crucis Inuentione literis consignarunt *ab opinione & errore vulgi in superstitionem inclinante, hauserunt.* Iunio iudice; cuius non secus ac χηνὸς αἰεὶ πλαδαρὰ χεῖλεα. Indurata semel, chalybis in morem, fronte; quiduis impertertito immotoque vultu respuit: cui & Helena Augusta est *superstitiosa*; & quidem adeo, vt qui eam *superstitione infectam non animaduertunt, haud probè discrimen inter religionem & superstitionem teneant*: Ita arbitratur Iunius: at secus illi, quibus animus à superstitione & impietate Caluiniana liber.

Suppetiatum accurrit Caluinista Centuriatoribus contra Bellarminum, qui dicit; Helenam vocari à Centuriatoribus *superstitiosam*, quia Hierosolymam petiit, vt lignum Crucis inueniret. *Hoc illi non dicunt*: clamat Iunius. Quid ergo? An non sunt hæc ipsissima Centuriatorum verba? *Helena mater Imperatoris, mulier superstitiosa, illuc profecta, adorandi caussa, reperta Domini cruce, duo templa ædificari curauit.* At Bellarminus omisit illam particulam; *adorandi caussa.* Sed subintellexit: nulla penitus iactura sensus, quem Magdeburgẽses propositum habebant; Helenam enim, non præcisè propter actum adorandæ vel adoratæ Crucis, sed absolutè superstitiosam vocant; & ex superstitione impulsam insinuant, vt Hierosolymam tenderet, crucem quæreret, & repertam adoraret.

Conuicio Centuriatorum opponit Bellarminus encomia, quæ sancti Patres plena manu in Helenam congerunt. Respondet Iunius, *patres laudasse zelum Helenæ, de scientia minus cogitantes.* Quod nihil aliud est dicere; quàm patres laudasse *indiscretum*, & non secundum scientiæ leges temperatum Helenæ *zelum*: Ex quo necessariò conficitur, ipsam quoque laudationem fuisse *indiscretam*, & tam scientię, quàm prudentiæ exsortem. Hic videlicet honor est, quem Iunius habet sanctis Patribus.

Quidam, inquit, *laudabant Helenam, ὑπερβολικώτερον.* Id nimirum restabat, vt iste ex candidissimis & sincerissimis Ecclesiæ Doctoribus & scriptoribus *Hyperbolistas* faceret, qui exaggerationibus suis extra veri lineas turpiter ferri, quàm intra honeste & decorè contineri mallent. *Ex hoc laudationum genere consequentia falsæ.* Alias consequentias non video, quàm istas: *Sancti Patres prædicant Helenam, vt religiosam; calumnian-*

lumniantur ergo & mentiuntur Centuriatores, quando Helenam vocant superstitiosam. Item: *Helena diuinis reuelationibus excitata est ad Crucem Domini quærendam; signum est ergo indagationem & Inuentionem crucis Deo placuisse.* Obserua autem pudentiores videri Centuriatores, quàm Iunium: nam illi Historiam inuentæ Crucis obliquè tantùm labefactare & subruere nituntur. Iunius palam repudiat.

Ambrosium esse omnium antiquissimum eorum, qui hanc historiam referunt, mendacium est Centuriatorum: vt ostendit Bellarminus: *Ambrosius*, inquit Iunius, *prius fuit tempore: ergo rectè antiquissimus à Magdeburgensibus dictus.* Fatetur Bellarminus Ambrosium fuisse paulò seniorem Sulpicio, Paulino, Hieronymo, Chrysostomo, Ruffino. At num ideo antiquissimus omnium Ambrosius rectè dicitur, cum eodem tempore omnes prædicti Patres & scriptores vixerint? Et vnde compertum Iunio, prius tempore in scriptis suis Ambrosium fecisse mentionem inuentæ crucis, quàm Hieronymum, vel alios ex modo nominatis, qui eadem cum Ambrosio ætate floruerunt? Deinde senior est Ambrosio, Cyrillus Hierosolymitanus: senior Constantinus Magnus: apud quos mentio repertæ Crucis exstat.

Sed aduersus hoc telum habet Iunius ex Criticorum officina paratum scutum. *Non est Cyrilli epistola* (de Crucis apparitione sub Constantio Imp.) *nam nec stylum Cyrilli, nec Hellenismum sapit.* Iam ergo subneruatum est Bellarmini argumentum, idq; beneficio Critices. Occurrit, quod suprà Iunius vsurpauit. *Hoc illud est sapere.* Dic, Iuni, vidistíne codicem antiquum, in quo hæc epistola alteri, quàm Cyrillo adscribatur? At *non sapit Hellenismum, nec stylum Cyrilli.* Sed cui? Tibi: qui nihil sapis, aut nimiũ sapis, aut Caluinismũ sapis. Cuiusmodi sapienti desipit, quidquid in laudem Crucis promitur. Mirum, quàm odorata sit his criticis efficacia nasi, qui dissimilitudinem styli, vel in maxima similitudine odorantur, dummodo id, quod stylus affirmat, nil ad eorum palatum faciat: nam si faceret, iam stylus & Cyrillo, & cuicunq; alteri consentaneus foret. Nesciebam Iunium in stylo Cyrilli vsque adeo exercitatum esse, vt ex ipso dicendi charactere tam sagaciter olfacere possit, quid sit Cyrilli, quid non: cui forsam nullam penitus irrogabis iniuriam, si eum nihil à Cyrillo Hierosolymitano Græcè scriptum legisse affirmes.

Vide lib. 3. de S. Cruce cap. 1.

Constantini Imp. dictum stolidissimè eludit. Ait ille: omnem admirationem excedere, quod Deus *indicium tormenti sacratissimi tot annis humo sepultum in lucem suo tempore prodire voluerit.* Obstrepit Iunius, *hac intelligi debere, de Euangelio & de salutari doctrina passionis & mortis Christi: quæ Constantini tempore vbiq; terrarum liberè prædicari & ab omnibus acceptari potuerit.*

potuerit. Hanc Iunij elusionem vanissimam esse, manifestum fit ex tota Eusebij narratione. Exponit enim, quomodo Constantinus Magnus iusserit Caluariæ locum à sordibus Gentilium expurgari, & rudera, quę in eum locum comportata, & in altissimum aggerem aggesta fuerant, exportari, effossâ altissimè terrâ. *Quod è vestigio effectum est,* inquit Eusebius, *ὡς δ᾽ ἕτερον ἀνθ᾽ ἑτέρου στοιχεῖον ὁ κατὰ βάθους τῆς γῆς ἀνεφάνη χῶρος, αὐτὸ δὴ λοιπὸν τὸ σεμνὸν καὶ πανάγιον τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μαρτύριον παρ᾽ ἐλπίδα πᾶσαν ἀνεφαίνετο, καὶ * τότε ἅγιον τῶν ἁγίων ἄντρον τὴν ὁμοίαν τῆς τοῦ σωτῆρος ἀναβιώσεως ἀπελάμβανεν εἰκόνα. Vt verò fossio & effossio terræ semper magis atque magis in profundum processit, tandem ipsum venerabile & sacratissimum resurrectionis monumentũ seu testimonium præter omnẽ spem apparuit. Et sanctum illud Sanctorum antrum* (id est, sepulchrum Domini) *ad similitudinem quandam Redemptoris reuixit*. Quis tam bardus est, & stipes, qui hîc Eusebium de Euangelio reuelato loqui censeat? An Euangelium terræ visceribus absconditum erat, vt necesse fuerit illud, altissimè effossa terra, & materia aliò auecta, refodere, & in lucẽ extrahere? An non & ante Constantinum doctrina de Christi passione innotuerat, & bonam orbis partem peruaserat?

Euseb. lib. 3. de Vita Constant. cap. 25. 26, 27. 28. 29.

* *τὸ, τε.*

Subiicit Eusebius: *Διὸ μετὰ τὴν ἐν σκότῳ κατάδυσιν, αὖθις ἐπὶ τὸ φῶς προσιὸν, καὶ τοῖς ἐπὶ θέαν ἀφικνυμένοις ἐναργῆ παρεῖχεν ὁρᾶν τῶν αὐτόθι πεπραγμένων θαυμάτων τὴν ἱστορίαν, ἔργοις ἁπάσης γεγωνοτέραν φωνῆς τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάστασιν μαρτυρόμενον.* Quibus verbis indicat Eusebius, sepulchrum Christi, postquã tenebris diu submersum fuerat, iterum in lucem emersisse, & iis, qui, contemplandi gratia, eò se conferebant, perspicuè miracula ibi edita, & ipsam Saluatoris Resurrectionem, quauis voce sonorius & vocalius, repræsentasse & annunciasse.

Refert postea Eusebius, Constantinum mandasse vt quam primum *οἶκος εὐκτήριος θεοπρεπὴς ἀμφὶ τὸ σωτήριον ἄντρον, templum augustum circa illud sepulchrum* exstrueretur. De quo mandato subiicit Eusebius literas Constantini ad Macarium Episcopũ Hierosolymitanum, in quibus beneficium reuelati sepulchri amplissimis verbis deprædicat; & repertum Christi tumulum, *γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους ὑπὸ τῇ γῇ πάλαι κρυπτόμενον, monimentum sanctissimæ passionis sub terra iam olim defossum. & multis annorum periodis abditum* nominat. Num hæc de prædicatione Euangelij, & manifestatione doctrinę de passione & morte Redemptoris nostri intelliguntur? Totus obstupesco, quando & hic & alibi Iunij audaciam, & in veterum dictis, scriptisq; deprauandis, & in alienum sensum à genuino, eoque apertissimo sensu detorquendis effrænatam impudentiam penitius introspicio. Videtur Iunius ita apud animum suum statuisse, neminem fore, qui vlterius inquireret,

reret, num fidelis Auctorum Interpres, an impostor esset, sed omnes cœco statim assensu approbaturos, quidquid fumorum & nebularum ipse veritati obscurandæ dispersisset.

Cur si calumniæ suæ aliquid verisimilitudinis appictum cupiebat, non obiecit Bellarmino, Eusebium vel Constantinum Imp. apud Eusebium, non agere de Crucis, sed de sepulchri Dominici inuentione? An eam ob caussam hoc responso vti noluit, quia vidit, è vestigio responsum iri; eo ipso, quod sepulchrum Domini inuentum, totusque Caluariæ mons & crucifixionis locus repurgatus, & effossis ruderibus in antiquam formam, ope & opera Constantini, restitutus scribitur, significari quoq; Crucem Domini repertam esse: cum non procul à sepulchro crux Domini sepulta fuerit, vt vidimus in opere de S. Cruce.

Lib. 1. cap. 62.

Quæ in Chronico Eusebij de Inuentione Crucis leguntur, contendit Iunius *à manu adulterina esse*. Non aliter Burdo. Cuius Criticam temeritatem castigauimus nuper in tertia editione primi Tomi de S. Cruce. At irrepserunt in Chronicum Eusebij menda varia, teste ipso Baronio. Num igitur & testimonium de inuenta Cruce mendis annumerare oportet? Euulgauit nuper Burdo Eusebij Chronicum; in quod num plura errata intulerit, an inde extulerit, adhuc sub iudice lis est; tametsi omnes, præter Burdonis palpones, eò propendere video, vt censeant plures & grauiores errores illatos, quàm elatos. Sed de Burdone præstat nihil, quàm parum dicere: tanta est dicendi materies.

Lib. 1. cap. 62.

Inuentionem sacræ lanceæ, de qua Tyrius in Historia Belli sacri, accenset Iunius *fabulis, superstitioni, mendaciis, piæ fraudi, & seculo miraculorum feraciori, quàm certo fidei. Tyrium ex aliorum relatione factum hoc in literas retulisse, centum fermè annos, post confictam fabulam.* Si te ab assensu impedit, quod Tyrius æuo posterior fuit; habes Robertum Monachum, & Anonymum à Lutherano vel Caluiniano Reineccio publicatum ætate æquales primæ in Palæstinam cruciatæ expeditioni, & captæ Antiochiæ, vbi lancea reperta fertur. Num Caluinista hisce Historiographis ætate Tyrium antegressis, fidem commodabit? Nihil minus. Quidquid Crucis in honorem gestum legit, aut quidquid de vllo alio Passionis Dominicæ instrumento proditum reperit, derepente fabulas ingeminat, nec aliam sui iudicij rationem adferre potest, quàm quia *Fabulo* est, Aesopi nepos, ex illa prosapia, cui ad veritatem durissima ceruix; versatilis ad mendacia.

Tyr. lib. 6. de Bello sacro.

Lege Tom. 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 9.

CAPVT

CAPVT IV.

Refelluntur ea, quæ contra quartum Bellarmini argumentum Iunius nugatur.

QVARTVM argumentum ducit Bellarminus à teſtimoniis veterum, qui paſsim referunt, quanto deſiderio tenerentur fideles habendi, aut certè videndi particulas veræ Crucis: quod ad magnum Crucis honorem pertinere nemo ignorat.

Iunius: *Non ſequitur argumentum ab exemplis ſuperſtitionis.* Itáne totus orthodoxus mundus ſuperſtitione contaminatus fuit? nam omnes Catholicos mirifico in Crucem Chriſti, eiusq; ſacroſanctas reliquias ſeu particulas pietatis ſenſu inflammatos fuiſſe, & in his ipſos ſanctos Patres, copioſiſsimè oſtendi in opere de S. Cruce. At Iunius nil moratur totius antiquitatis memoriam. Nil priſcos Patres & Hiſtoricos. Omnes Crucis amatores & cultores ſuperſtitioſi fuêre: ſolus Iunius cum ſuo Caluiniano grege ab omni ſuperſtitione alieniſsimus eſt: forſan ideo, quia Caluiniſtæ tam longè ab omni religione receſſerunt, vt nulla in eos ſuperſtitio amplius cadere poſsit.

Lib. 1. cap. 17. & ſeqq.

Facit tamen Iunius patribus non modicam gratiam: *Simplici quadam ſuperſtitione eos occupatos* exiſtimat; ſed alios *compoſita*; hoc eſt, quæ cum impietate copuletur. Quapropter magnos debent ſancti Patres Iunio gratias, quòd à grauiore ſuperſtitione eos liberat, & paulò meliores, quàm manifeſtè impios, facit. Hac tamen tanta dignatione non dignatur Iunius S. Cyrillum Hieroſolymitanum, de quo liberè, vt in Saturnalibus, & quaſi ex plauſtro Caluiniano. *Cyrillus iſte vanitate & ſuperſtitione non caruit* (& tamen mirum dictu, vtraque caret Caluinianus Iunius) *præſertim cum in loco eſſet* (Hieroſolymis) *quem frequentari atq; augeri videret hoc ſuperſtitionis argumento.* Vix ſuppetit, quod reponam; niſi gratulandum eſſe Cruci & Catholicæ religioni, quòd eò redacti ſint vtriuſque oſores & aduerſarij, vt ſe & ſua non niſi criminationibus & calumniis in totam antiquitatem effuſis tueri ac ſuſtentare queant. Quid impudentius & calumnioſius his Notatiunculis Iunij, quibus gloriam Crucis, & Bellarmini pro gloria Crucis doctiſsimam diſputationem euerſum tendit? Quid vel ſcurræ ex gurguſtiis arrepto procliuius, quàm vociferari, *hæc eſſe exempla ſuperſtitionis*; vt iam ſæpiſsimè Iunius fecit, & mox iterum facit, cum de B. Macrina, ſorore D. Gregorij Nyſſeni agit, quæ crucem ferre ſolebat, in qua particula de vera Cruce continebatur. Etiam hæc ſanctiſsima Virgo ſuperſtitionis poſtulatur à Iunio: à qua nota abſolueretur, ſi,

De S. Cyrillo lege lib. 1. de S. Cruce c. 77.

Vide lib. 1. de S. Cruce c. 78.

Cruce valere iussa, imaginem alicuius Hæresiarchæ, puta Eunomij (quandoquidem Caluinus necdum exstiterat) de collo suspendisset.

S. Chrys. homil. Quod Christus sit Deus.

Scribit Chrysostomus, eos, qui potuerant potiri particula Crucis, auro inclusam seruare, ac inde se valde ornari, & custodiri meritò credere. Iunius. *Illa vox,* MERITÒ, *non est Chrysostomi.* Sensum Chrysostomi recitat Bellarminus, non verba. Nega, si audes, quanquam omnia audes, voculam, *Meritò*, esse ex mente S. Chrysostomi: cuius illustrissimū pro Crucis honore ac veneratione testimonium his technis & sutelis Caluinista eleuare nititur. *Argumentatur Chrysostomus aduersus Gentiles, non ab auctoritate Scripturæ* (imò & ab hac, vt patebit vel obiter inspicienti aureolum illum libellum Chrysostomi aduersus Gentes, quo Redemptoris nostri diuinitatem demonstrat. Admodum anceps pendeo, num Iunius hoc Chrysostomi opusculum aliquando viderit) *sed à signis præsentibus, quibus Christum esse Deum voluit ostendere*; (at inter hæc signa, erat etiam gloria, maiestas, & honor Crucis per totum terrarum orbem diffusus, & ita omnium animis insculptus, vt qui vel exiguam de Cruce prima particulam nactus fuisset; ingentis pretij thesaurum se possidere crederet; Cruce vbiq; fulgente, & lucifluis suis radiis omnia longè lateque collustrante.

Reges, inquit S. Chrysostomus, *positis diadematis Crucem suscipiunt: In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super solem fulget crux, &c. Hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, crux, diadematibus, & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior; & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantoperè quærunt; atque adeò, vbique ea inuenitur apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos: subinde omnes ea se signant, inscribēdo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmoniis obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus; adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans, quod maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematū coronis, vel multis gemmatis monilibus, & torquibus. Et non solùm non fugitur, sed & desideratur, & adamatur, & omnes de ea soliciti*

ſoliciti ſunt, & vbique fulget, & ſparſa eſt in parietibus domorum, in culminibus, in libris,in ciuitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & quæ non habitantur.

Hæc & plura huius generis Chryſoſtomus, quibus Ethnicos vrget, vt diuinitatem Chriſti agnoſcant, & confiteantur, permoti hoc etiam ex crucis gloria ſumpto argumento,quandoquidem fieri non poſſet,vt crux,tanta vbique gloria ſplendeſceret, & ab omnibus certatim expeteretur, ſi Chriſtus non eſſet verus Deus.

Obiicit Iunius: *Non omnia ſigna* (à Chryſoſtomo allata) *conſecutionem efficere neceſſariam, aut ipſa etiam proba eſſe, & neceſſaria, ſed ad demonſtrandam maieſtatem Chriſti hæc neceſſaria, illa probabilia, iſta tolerabilia eſſe.* Proba non eſſe omnia ſigna,ex quibus ſanctus Chryſoſtomus aduerſus Gentiles argumẽtatur,nemo probus vnquam affirmauerit. Omnia eſſe neceſſaria, neceſsitate illa accurata & exacta, quæ in demonſtrationibus Phyſicis & Mathematicis elucet; neceſſe non eſt; ſufficit neceſsitas moralis, ita comparata, vt cuiuis, qui non ſit ferreæ ceruicis Capito, rem perſuadere poſsit; neque enim æqualis in omnibus requiritur certitudo & euidentia; vt notum eſt. Omnia autem, quæ in illo Tractatu S. Chryſoſtomus pro diuinitate Chriſti diſſerit, talia ſunt, vt ſi non ſola, ſaltem cum aliis iuncta, ab ingenio non diſtorto, repudiari nequeant.

Et quæ tu, Iuni, vocas ſigna *tolerabilia*, ex quibus Chryſoſtomus probationes ſumpſerit? Hoc tu nobis mox explicas. *In hoc numero illud eſt, quòd omnes gentes gloriam Chriſto tribuentes, etiam lignum illud Crucis, cui fixus dicebatur fuiſſe, affectarent habere, vt ſe hac ſuperſtitionis æmulatione Chriſtianos eſſe oſtenderent.* Si hoc ſignum à Crucis gloria tolerabile iudicas: cur non toleratur à vobis Caluiniſtis? Cur, vt ipſam Crucem, ſic & argumentationem pro Crucis gloria inde petitam repudiatis? Deinde,quomodo ſignum hoc eſt tolerabile,ſi nititur ſuperſtitione? Ad hæc, quis vnquam laudauit & commendauit illos, qui profeſsione & æmulatione ſuperſtitionis Chriſtianos ſeſe eſſe comprobare vellẽt? Num tu S. Chryſoſtomum, omnium ſuperſtitionum acerrimum hoſtem & inſectatorem,Chriſtianos ab hoc incenſo Crucis obtinendæ & colendæ deſiderio laudaturum fuiſſe exiſtimas, ſi vel guttulam ſuperſtitionis in eo latitare crediſiſſet? An non conuerſo diuinæ eloquentiæ flumine, Chriſtianos ab hoc in Crucem affectu dehortatus fuiſſet; ſicut ab aliis ſuperſtitionum generibus grauiſsimè dehortari ſolebat, vt patet ex pleriſq; S. Chryſoſtomi homiliis? Si Iuniano ſpiritu caluiſſet, totum terrarum orbem ſtultitiæ & amentiæ damnaſſet;quòd tanta Crucis cupiditate flagraret,rei nimirum,quæ in rerum natura non exſiſteret.

Quid insuper illud sibi vult? *lignum illud Crucis, cui fixus dicebatur.* Imò; non, *cui fixus dicebatur,* sed, cui verè fixus fuerat. hoc, inquam, lignum, cui verè fixus fuerat Saluator; totus mundus certatim expetiit; laudante & comprobante hunc inflammatum ardorem S.Chrysostomo: nam quod subdit Caluinista; *aliud est narrare quid fiat; aliud, quid debeat fieri, exponere; aliud, euentum rei demonstrare;* eoque tacitè insinuat, Chrysostomum, communem illum totius orbis in Crucem affectum non probasse; sed tantum, quid fieri soleret, exposuisse; inanissimum commentum est, quod refellitur ab omnibus propè syllabis & apicibus, quibus argumentatio illa à Crucis gloria desumpta constat. Quis vel in somno & somnio sibi persuaderi sinat; sanctum Chrysostomum Ethnicos premere voluisse argumentis petitis à Christianorum more, quem ipse improbaret, & pro superstitioso reputaret? Quis credat S. Chrysostomum superstitiosa Christiani populi consuetudine Ethnicis Christi diuinitatem persuadere voluisse, atque adeo hanc argumentationem texuisse? *Crux Christi ab omnibus certatim expetitur, Crux Christi vbique fulget, rutilat, vbique vsurpatur, efformatur, omnibus rebus adhibetur; Crucis Christi neminem pudet, etiamsi fuit mortis, & quidem maledictæ, symbolum; sed hæc & similia omnia contingunt ex superstitione, vel ex superstitionis æmulatione, qua homines suum erga Christianam religionem studium quam maximè demonstrare student; signum igitur est, Christum esse Deum, qui hunc superstitiosum affectum Christianorum pectoribus indere & inserere potuerit.*

Quid? Num hoc argumentum, an deliramentum esset? Num ratiocinatio, an somniatio? Et tamen hoc argumentum Chrysostomo tribuere cogimur, si vera sunt, quæ Iunij acumen non differit, sed desipit, qui subiungit: *Quid fieret, narrat Chrysostomus cum Gentilibus disputans, non quid deberet fieri.* Imò & hoc, rumparis licet: Quia nisi censuisset S.Chrysostomus, id quod fieri videbat, debere fieri; sanctèque & legitimè fieri, nunquam inde argumentum pro Christi diuinitate Ethnicis persuadenda petiisset: quia Ethnicis in promptu fuisset respondere: *Quid nos vrges consuetudine populi Christiani & affectione in Crucem, & gloria, qua Crux vbique rutilat; cum non hoc, sed contrarium fieri debeat; cum non iste, sed contrarius mos sit religiosus; cum non iste, sed contrarius mos superstitione careat? Quomodo tu diuinitatem Christi nobis ex facto, quod fieri non debet, persuadebis? Num ideo Christus Deus, quòd Crucem Christiani vbique celebrant & vsurpant, quam tamen vt celebrent & vsurpent, non suadet religio, sed superstitio? Num ideo Christus Deus, quia Christiani reuerenter de collo suspendunt lignum Crucis, quod nusquam in rerum natura existit?*

Quærit

Quærit S.Chryſoſtomus: *Vellem audire à pagano, vnde ſymbolum tam maledicta mortis ac ſupplicij omnibus tam deſiderabile; ſi non magna Crucifixi virtus?* Quid opus erat hac quæſtione, ſi S. Chryſoſtomus communem illum affectum pro ſuperſtitione habuit? Nam reſponſum, quod rogatus Iunius daret, ipſe ſibi dare poterat. nempe ex ſuperſtitione ardens illud deſiderium Crucis habendæ & colendæ proficiſci. *Sunt lictoribus,* inquit S.Chryſoſtomus, *multa tormentorum genera, ligna, lora, vngues, plumbum, quibus torquent corpora, & membra dilacerant, & distrahunt: & quis nam vellet hæc in domum ſuam inferre? quis vellet manu contingere? vel, quis vellet ad carnifices, dum hæc agunt, propius accedere, vt videat? An non plures ita abominantur, vt neq; aſpectum, neq; tactum ſuſtineant, aliqui nauſeant, & inauſpicatum cenſent, proculq; fugiunt, & oculis auerſantur? Tale quippiam vtiq; & crux olim erat, atq; illis multò grauior, vt ſupra memini. Nam, non mortis tantum, ſed & maledicta mortis ſymbolum erat. Vnde ergo, dic mihi, tantum eius ſtudium, & cura, quod ita deſiderata cunctis, & omnibus deſiderabilior? Ipſum ergò hoc lignum, in quo poſitum ſanctum corpus Domini, & crucifixum: quare nam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri, quàm mulieres, & ceruicibus ſuis aptent, hinc valdè honeſtati, & magnifici, muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit lignum?*

Quid ad hæc Chryſoſtomus? Num hæc omnia ex ſuperſtitione eſſe nata? Debebat quidem hoc reſpondere, ſi ad guſtum & ſpiritum Iunij reſpondere voluiſſet. Sed longè aliud reſponſum promit. Quodnam illud? *Qui omnia operatur, & præparat, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cælum facit, etiam rem hanc, licet contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, ſupra cœlos eleuauit. Hæc igitur omnia prævidens Propheta dicebat; Et erit requies eius, honor.*

Nec refert, inquit Iunius, *quod euenta interdum fauſta huic actioni, quamuis ſuperſtitioſæ, attribuit Deus, nam duæ cauſſæ ſimul concurrebant; vna, gloria Dei apud infideles aſſerenda in Chriſto.* &c. *non ad hanc (ignouit enim) ſed ad illã gratioſè reſpexit Deus.* Mira ſupra omnia mira. Deus ſuperſtitioſas actiones circa Crucis cultum & venerationem miraculis illuſtrauit. Quis iſta vnquam ante Iunium audiuit? Soletne Deus ſuperſtitionem comprobare miraculis? Hæc enim intelligit Iunius per *fauſta* ſua *euenta.* Soletne Deus diuinæ ſuæ maieſtatis gloriam per ſuperſtitionem propagare, & ad eorum factum, qui gloriam Dei hoc illicito modo propagant, oculis clauſis conniuere, eorumque ſuperſtitionem, etſi per ſe damnabilem, non repudiare, eò quòd ex pectore non malo profluat?

Quid ſupereſt, niſi, vt Iunius dicat, furtum animo dandi eleemo-

synam commissum, Deo placere; quia ad bonum per se & appetendum finem destinatur? Quid, obsecro, contra Gentiles pro diuinitate Redemptoris nostri effecisset S. Chrysostomus, si argumentis à superstitione ductis, à fide vera alienos conuincere studuisset?

Eiusdem generis, hoc est, ad superstitionem pertinentis, ait Caluinista *esse exempla Paulini, Apameensium, Gregorij, Helenæ.* Omnes nimirum superstitiosi sunt; quicunque aliquid in laudem Crucis proferunt, vel miracula illius percensent. Solus Iunius linguam petulantem in sacratissimum hoc lignum stringens, & vniuersam antiquitatem superstitionis damnans, ab omni superstitione quàm longissimè remotus est.

Vide lib. 1. de S. Cruce cap. 86. & 79.

Ait Bellarminus. Hieronymum exponere illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*: de Cruce. Occurrit Iunius. *Non est Hieronymi in Psalmos commentarius ille.* Non ignorat Bellarminus quæri ab eruditis, num isti commentarij sint ex Hieronymi officina: interim tamen & hoc nouit, nullum hactenus Senatusconsultum factum, quo Hieronymo penitus abiudicarentur, & sub eius nomine citari vetarentur: vt intelliget, quisquis Mariani Victorij his commentariis præpositam censuram legerit.

Secundò respondet Iunius: *Auctorem istum, quisquis est, non affirmare expositionem illam, nisi allegoricè.* Quomodocunque illam affirmet, Bellarmino satis est; Auctorem istum asserere, per *scabellum* apud Dauidem intelligi *Crucem*; eamque adorandam esse, quandoquidem Propheta iubet, *vt adoremus scabellum pedum eius.* Neque quidquam dicit Hieronymus, vel Auctor ille, de sensu allegorico; sed postquam dixisset; Corpus Domini per *scabellum* pedum Dei accipi posse; statim subiecit: *Sed & ad crucem Dominicam, & ad animam sanctam hæc referenda sunt*; nam si per *scabellum* significatur Crux, non allegoricè, sed litteraliter, quamuis tropicè, significatur: nam sensus allegoricus immediate fit per res, non per verba.

Bellarminum aliena commenta tumultuariè colligere, & inaniter arguere; geminum conuicium est, partim Bellarminum, partim priscos Patres, quorum dicta & sensa Bellarminus recitat, attingens. Neq; enim à tam immani Crucis hoste alia responsa exspectari possunt, quàm aculeata in omnes illos maledicta, qui piè & religiosè de Cruce sentiunt, scribunt, loquuntur: quæ insigniter etiam se exerunt, cum huic S. Hieronymi ad Marcellam voto: *Ergóne erit illa dies, quandò nobis liceat speluncam Saluatoris intrare, Crucis deinde lambere lignum*, &c. hanc calumniosam notam appingit: *Sequentia superstitionis sunt inualescentis omnia. Negamus consequentiam.* Ergò iam tempore D. Hieronymi superstitio inua-

inualescebat; pieque ac reuerenter in sepulchrum Domini introire; & Crucis ligno oscula figere; *superstitio erat*?

Quam verò negas consequentiam, cum Bellarminus nullam expressè formet? An negas hanc, quæ tacitè innuitur? Temporibus D. Hieronymi osculis religiosis colebatur à fidelibus lignum crucis; ergo factum hoc omni superstitione caret? Hanc, nisi fallor, consecutionem inficiaris. Sed bono sidere te natum oportet, si certò apud te statuere potes, tua somnia & ἀνεμώλια toti antiquitatis memoriæ à nobis antepositum iri. En duo stant vtrinque: D. Hieronymus; at quantus? & Iunius, at quantulus? Ille crucis cultum probat, laudat; iste, improbat, vituperat. Vter audiendus? Facessat stupor, facessat cæcitas, facessat impietas; & absque mora, cui subscribendum sit, dilucidè elucescet.

Scribit S. Augustinus; ad terram sanctam ex Monte Caluariæ in Africam allatam, miracula fieri solita; & se cum alio Episcopo eam infodisse, & orationis locum super eam constituisse. Ad quæ inuerecundè Iunius. *Non loquitur Augustinus de suo sensu, sed de sensu Hesperij viri Tribunitij, qui terram sanctam allatam Hierosolymis suspenderat in cubiculo suo, &c. superstitiosè omnia.* Imò & de suo sensu loquitur, quia in toto illo capite miracula in Ecclesia Catholica geri solita enumerat, ex quibus vnum est & hoc de terra sancta. Nam si S. Augustinus pietatem Hesperij erga terram sanctam, superstitionis condemnabat: quare Hesperium non monuit; nihil caussæ esse, cur tanto reuerentiæ & pietatis affectu in illam terram ferretur: vtpote, quæ terra sit non sanctior quàm quæuis alia? Cur si S. Augustinus existimabat, Hesperium hoc in affectu, vel minima superstitionis lue infectum esse; non monuit, vt his missis, ad Christum omnes suas cogitationes transferret, & à *materialibus* ad spiritualia assurgeret? Cur passus est, vt ob reuerentiam terræ illius domus oratoria construeretur, quo & alij se reciperent? Si Iunius ab Hesperio aduocatus fuisset, Hesperium grauissimè obiurgasset, vt qui necdum prima fidei elementa didicisset, animo his terrenis adhuc addicto, nec ad cælestia euecto. Nihil horum sanctus Augustinus. Nec Caluinista vllam syllabam demonstrabit, qua ostendat, ea, quæ gessit Hesperius, non esse ex S. Augustini sensu gesta: præsertim cum eo in capite miracula probata & testata, in Catholica Ecclesia patrari consueta percensere voluerit, inter quę & hoc vnum erat; editum ad terræ sanctæ iam infossæ, & domo oratoria ornatæ lipsana. *Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui, hoc audito, petiuit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non incunctanter afferrent, quo cum fuisset allatus, orauit, atq; inde continuò pedibus suis saluus abscessit* Quis nõ mire-

S. August. lib. 22. de ciuit. c. 8.

miretur terram illam etiam miraculis celebratā fuisse, si cultus eius erat superstitiosus,& si Hesperius, quidquid in hac re egit; superstitiosè egit? Nam sanctum Augustinum, eiusque collegam Maximinum, ciuiliter excusat Iunius, *noluisse illos ex abrupto, Hesperij superstitionem oppugnare. Non restitimus, inquit, ne eum videlicet hominem infirmum, in superstitione errantem, ac nondum satis institutum, ad primum congressum frangeremus.*

Verba illa: *Non restitimus*; Esse S. Augustini agnosco. Reliqua ab impio Iunij glossemate profecta detestor. Nam si vel minimum quid superstitionis pietas illa & petitio Hesperij resipuisset; S. Augustinus totis viribus restitisset; & eum tanto in errore versantem in rectam viam deduxisset. Nimirum Hesperius adhuc erat infirmus, quia nullo Caluiniano tubicine fulciebatur. *Errabat in superstitione.* Et tamen S. Augustinus nec vnico verbulo de superstitione eum admonuit. Num tu censes admoniturum non fuisse, si & factum & petitio Hesperij aliquid superstitionis continuisset? *At needum satis institutus fuerat.* Fateor nec satis, nec parum, nec multum Caluiniana institutione institutum fuisse; hac enim si institutus fuisset, haud, villâ malignorum spirituum infestationibus infessa, presbyteros S. Augustini rogasset, *vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus*, inquit S. Augustinus, *obtulit ibi sacrificium corporis Christi* (iam stomachatur & nauseat Iunius, & illud suum intonat: *Superstitiosè omnia.*) *orans, quantum potuit, vt cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessauit.* Omnia superstitiosè, ex Iunij iudicio.

Quid amplius? *Acceperat autem ab amico* terram sanctam (en particulæ de Palæstina decerptæ *terra sancta* audiunt.) *de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamq; suspenderat in cubiculo suo,* (Hic iterum Iunius, non sine bile: *Omnia superstitiosè*) *ne quid mali etiam ipse pateretur.* (Rursum, *omnia superstitiosè.* (Cur S. Augustin. nō instruxit Hesperium, vt hanc de terra sancta adeo præclaram, vel potius, si Iunio credimus, *superstitiosam* opinionem deponeret; Et nihil præsidij contra Dæmonum ludibria & nocumenta in terræ sanctæ portiuncula collocaret, nec se ideo à damno tutum crederet, quòd particulam terræ sanctæ suo in cubiculo suspensam haberet? Cessante illa Diabolica illusione, diutius suo in cubiculo retinere noluit. Cur? *Reuerentiæ caussa*, inquit S. Augustinus. En quantus pietatis affectus fuerit veterum Christianorum erga terrę sanctæ reliquias.

Quid ergo fecit Hesperius erga terrā sanctam tam religiosus? Terram illam sacram infodi, & domo oratoria decorari voluit. Quis credat hoc vel permissurum, vel dissimulaturum fuisse S. Augustinum,

num, si voluntas ista ex superstitione processisset? Nam Hesperium necdum satis in Christiana religione institutum fuisse, diuerticulũ, vel potius delirium Iunianum est, imperitorum oculis obfuscandis excogitatum; nihil enim de hoc Augustinus: nihil vllus alius; nisi qui *plerophoriam suam* ex lacu Lemanno, & ex Geneuensi schola hausit. Hoc Hesperij, & S. Augustini factum Deus illustrauit & comprobauit miraculis. Quando calumnias Iunij paribus miraculis sit corroboraturus, exspectet, qui volet. Audiet, opinor, illud: *Rusticus exspectat dum labitur amnis, at ille labitur & labetur in omne volubilis æuum.*

Versum illum Sibyllæ mirabili prorsus glossa explanat Iunius. *O lignum felix. Figurata locutio de Christi morte in Cruce; quæ dicitur felix, id est, beans & felices efficiens pios. poëticè.* Mirabilis figura, quà *lignum felix* pro morte felice, & mors felix, iterum tropicè, pro *felicitante* accipitur. Quæso, cur in illo versu Sibyllæ per lignum non licet sine vlla absurditate intelligere lignum: hoc est, lignum, ex quo Crux compacta fuit. Præsertim cum Sibylla addat; *in quo Deus ipse pependit*: Num Deus pependit in Cruce, an in morte Crucis? Quid absurdius Iunio, cum his suis Cenologiis plusquam friuolis & futilibus? Loquitur Sibylla de illo ligno, in quo Christus pependit; & iste noster summâ impudentiâ lignum hoc tropicè ad mortem Christi rapit, quasi sensus sit; *ô felicem mortem, in qua Christus pependit.* Num moriens in Cruce pendet in morte? An non pendet in Cruce?

At Bellarminus exponit postea hunc eundem Sibyllæ versiculum de imagine Crucis. Grande piaculum, quasi non & de prima & de primæ Crucis imagine potuerit Sibylla carmen illud intelligere. Quasi verò non & primæ illius Crucis lignũ, & lignum imaginis, sit *lignũ felix*, in quo Deus ipse pependit; illud quidẽ reipsa; hoc verò per repræsentationẽ.

Dic, Caluinista, an non lignum felix, de quo tot & tanta, & quidem verè, prædicat S. Chrysostomus. *Hoc*, inquit, Crucis lignum, *mortem sustulit, hoc inferni areas portas confregit, hoc ferreos vectes contriuit, diaboli arcem expugnauit, peccati neruos exsecuit, totum orbem condemnationi subiectum eripuit, plagam à Deo immissam aduersus naturam nostram remisit; quæq; non potuit mare, cùm divideretur, & petra cum diuiderentur, & aër cùm mutaretur; & manna, quod quadraginta annis tot millibus dabatur, & lex, & alia signa, tam in eremo, quàm in Palæstina facta, ea potuit Crux: non in vna gente, sed in toto orbe, & in omnibus, quas sol aspectat, terris. Crux maledicti symbolum, quod omnes fugiebant, quod omnes deprecabantur, quod probrosissimum dicebant omnes, tantum, ac tale post crucifixi mortem robur accepit.*

An non igitur iure exclamauit Sibylla?

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

CAPVT V.

Asseritur à criminationibus Iunianis quintum & sextum Bellarmini argumentum.

Vide lib. 1. de S. Cruce cap. 65. & 66.

QVINTVM argumentum petit Bellarminus ab Exaltatione sanctæ Crucis. Iunius nil nisi conuicia obiectat. I. *Narrationem de Exaltatione crucis esse dubiæ fidei.* II. *Et multorum iudicio fabulosam.* III. *Paulum Diaconum, Zonaram, Cedrenum in res miraculosas effundi.* IV. *Eos meritò censeri posse patres fabularum.* V. *Eos sine iudicio in historiam suam contulisse, quidquid ab incertis hominibus, ac non idoneis audiuerant.*

Pro specimine inconsiderationis & incircumspectionis adfert ea, quæ de Zacharia Patriarcha Hierosolymitano produnt, cum Modestus, nō Zacharias, relata ex Perside Cruce, sedē Hierosolymitanā tenuerit. Sed hunc nodum soluimus iam in Opere de sancta Cruce.

Loc. cit.

Post lœdorias in Historicos vibrat Iunius linguam suam in Bellarminum; quem dicit, *Auctoribus illis & Historiæ iniuriam facere, & tempora Historiæ confundere.* Qua de caussa? *quia prælia iam diu fuerant gesta, & Chosroë mortuus, cum filius eius Siroes restituit Heraclio Crucem, & sine prælio.* Num quid de his, aut contra hæc dicit Bellarminus? Et si quid contra diceret, an non pro vero contra falsum diceret? Etsi enim bellum ab Heraclio aduersus Persas gestum aliquot annos tenuit; tamen eodem bello continuato Persas & Chosroæ successorem ad pacis conditiones & restitutionem sacrosanctæ Crucis adegit. Nec contrarium tradunt Auctores supra nominati vel Baronius, ex quo arbitrabatur Caluinista se Bellarmino luculentam plagam impositurum.

Ait Iunius; *quæri posse, nū miracula sint vera, quæ in Exaltatione Crucis dicuntur patrata.* Quæri hoc potest; sed nil decerni, nisi vera esse; si non ex temeraria negādi prurigine, sed ex matura deliberatione decernatur.

Vt det Iunius vera esse hæc miracula, *ex particulari nil* ait *sequi.* Cur verò nihil? An non bona hæc consequentia? Crux relata ex Perside variis miraculis est nobilitata, ergo veneratione digna est. An nō hæc consequentia bona est? *Homo sedet; ergo aliquis homo sedet;* Et tamen antecedens est ex particulari, cum, vt Logici docent, indefinita propositio in materia contingenti æquiualeat particulari.

Quid si Deus hoc pacto voluerit extra ordinem damnare incredulitatem Persarum? Omnino voluit. Verum, an non hinc sequitur, crucem, tantorum miraculorum effectricem, cultu afficiendam esse? *Quid si Diabolus superstitiosis illudere, superstitioneq́; hoc facto suo firmare?* Quid si Diabolus ore huius Caluinistę omnia pietatis argumenta lacerare & lancinare instituit; mundoq; viā ad omnē impietatē, quin & ad Atheismū, hæc

omnia

omnia traducendi, repudiandi & inficiandi libidine sternere voluit?

Sextum argumentū Bellarmini est istud. Si locus, in quo Angelus stetit, terra sancta est, Iosue 5. Exodi 3. Cur nō magis Crux, vbi stetit Christus? Respondet Iunius. *Error duplex, vnus, homonymia seu æquiuocationis.* Mirabar *æquiuocationi*, dexteræ Iunianæ vsitatissimo telo, tam longas concedi ferias, vt in aciem nō protruderetur. Nunc ecce prodit. Sed vbi hæc homonymia? *Quia honor duplex est, ciuilis, & religiosus.* Non diffiteor. Quid inde? Num Bellarminū loqui de honore ciuili & humano? Ne Caluinista quidem hoc nisi inconsideratè, affirmet. Num de religioso? Assentior. Si ergo de hoc loquitur, vbi manet tua æquiuocatio? Nam honor de ciuili & religioso vniuocè dicitur. Perinde facis ac si homonymiâ peccare pronunciares illum; qui hominem sensitiuum esse assereret; Rogatus, cur talis homonymiâ laberetur, respōderes; quia sensitiuū dicitur de homine, cane, boue, lepore. Pulchrè & argutè. Honorem religiosum esse *vniformem*, hoc est, vnius tantum modi & speciei, figmentum tuum est; nullo verisimili argumento firmatum, vel vnquam firmandum.

Alter *error* nō error *est inconsequentia ex falso & dispari. Terra*, inquit Iunius, *non fuit sancta in se & per se; sed respectu præsentis & loquentis Dei.* Etiā Crux nō est sancta in se & per se, hoc est, propter se, & absq; habitudine & analogia ad Crucifixum. Neq; contrariū dixit, aut docuit Bellarminus. Cole igitur terram sanctam & crucē sanctam cum respectu ad Prototypū, & vt propter hanc habitudinē aliquo modo vnū cum exemplari efficiuntur. Idem de semicinctiis & sudariis D. Pauli dictū esto; propter relationē ad eum, cuius fuerunt semicinctia & sudaria.

Fatetur Iunius, Sacramenta, seu, vt ipse loquitur, *signa sacramentalia esse honoranda; at nō illo honore cultus, quē illis deferunt Pontificij.* Quo igitur? Silet Iunius. Nō ausus fuit dicere, *ciuili*; quia Sacramenta nō pertinent ad ciuilium rerum genus, cum sint ex diuina institutione: nec tamen dicere voluit, honorari debere honore religioso; cum enim ipse statuat hunc honorē *vniformem*, & vnius speciei; ægrè adduci potest, vt honore diuino Sacramenta seu *signa sacramentalia* veneranda fateatur, cum hunc honorem, tametsi relatiuè sumptum, Caluini sectatores, ipsimet humanitati Christi impiè detrahant.

Quidquid sit de Sacramentis: Iunius negat valere hanc consequentiam: *Sacramenda honoranda sunt; ergo & Crux.* Causam negationis reddit; quia Sacramenta sunt ex institutione diuina; minimè verò Crux. Quasi verò sola institutio Dei faciat, vt res quæpiā sit venerabilis; & non potius excellentia, qua res illa pollet vel in se; vel cum habitudine ad prototypum. Quanquam & Crux ex institutione Dei

rectè dicitur, cum filius Dei eam sponte elegerit, & sanctissimi sacrificij aram, & redemptionis nostræ instrumentum esse voluerit: *ita vt hoc mortis symbolum*, (verba S. Chrysostomi refero) *multa benedictionis argumentum sit factum, & omnigena securitatis murus, lethalis plaga diaboli, Dæmonum frænum, chamus contrariarum virtutum.* Et hic de prima Cruce dicendi finis faciendus erat; quoniam verò, vt inquit S. Augustinus, *de beata Crucis mysterio diutius loqui & dulce & salubre est*, non grauabor hoc loco, vt Caluinistis faciam volup. exponere; quid nostra memoria ad Crucis Dominicæ gloriam gestum sit in Iaponia, remotissima ab orbe nostro prouincia. Per legatos Iaponios, quos Romam ad Gregorium XIII. & ad successorem eius Sixtum V. obedientię pręstandæ caussa, venisse tota Europa iam pridem audiit; misit Sixtus V. ad Sancium Dominum Omurensem, & ad Protasium Regem Arimensem, solenni ritu consecratum *gladium*, *Galerum* & particulam de ligno sanctæ Crucis, quorum ille his verbis Pontifici gratias egit, literis ex Iaponia datis Anno M. D. XC.

S. Chrysost. hom. Quòd Christus sit Deus.

S. August. serm. 101. de Temp.

Cum Don Bartholomæus pater meus vita functus sit, illi successi, S.V. deuinctus, & obstrictus perpetuò ob sancta Crucis lignum, & gladium, quæ per Don Michaëlem ad Patrem destinauerat; quæ munera maioris facio thesauro maximo, quem vel ipse, vel posteri mei acquirant, asseruabimusq; instar profundi pelagi, & magni cumuli beneficiorum, à sanctissima vestra manu, eiusq; opera à cælo ipso acceptorū. Verùm, mota à Quabacondōno, vniuersæ Iaponiæ Domino, persecutio, quæ Patres, & harum partium Christianos afflixit, oportunitatem hactenus omnem ademit ea celebritate, & festo, quibus par erat, prædicta munera recipiendi.

Exstat Tom. 2. Epist. Indic. edit. Antuerp.

Alter verò hæc ad eundem Pontificem gratæ mentis testandæ caussa rescripsit. *Narrauit Don Michaël quo honore, & fauore à V. S. Rege Philippo, & aliis Principibus Christianis exceptus fuerit: cuius ergo eas gratias ago; quas nec penna, nec charta explicem. Reddidit etiam literas, quibus B.V. me dignata est, eoq; fauore prosecuta, cæteris vt regibus Christianis annumeraret. Detulit præterea sacri ligni veræ Crucis partem, gladium, & galerum, quæ V. Sanctitas solita est ad Reges, & Principes Christianos destinare. Qui fauor, & studia talia sunt, tantiq; à me æstimantur, vt statuerim æterna memoria consecrare, & inter præcipuos thesauros, ornamentaq; & monumenta posterorum meorū referre. Estq; hic in me collatus honor eiusmodi, vt maior esse non possit in hac vita; & in bonam vitam futuram redundet. Constitueram, iuxta præscriptum à S.V. in suis ordinem, vtq; fauor, & beneficia tam magna mihi delata merebantur, apparatu, & celebritate qua potest, omni in regno meo, maxima, prædicta munera excipere; sed habendam efferationem tyrannidis, & summi odij, quo Quabacondono Iaponiæ vniuersæ Dominus tres totos annos Patres, & Christianos persequitur, iudicauit P. Visitator: tam diuq; hoc festum differendum, dum Meaco reuertatur.*

Hæc

Hæc duo isti Principes ad Summum Pontificem. Qui si à Geneuensi quopiam Magistro Christianis, vel potius Caluinianis institutis informati,& à Diis Gentium ad Deum,quem fingit Caluinus;auctorem, artificemque scelerum, traducti fuissent,longè alias Epistolas,proque muneribus missis gratias in Europam misissent.Sed gratiæ laudesque Deo,qui Crucis,& nominis sui maiestatem,& gloriam apud disiunctissimos à nobis Reges & populos propagat, dum eam Europæorum nonnulli, hæretico furore perciti, obscuratum, & penitus oppressum eunt.

Qua porrò solennitate & publico cæremoniarum apparatu munera pontificia Dominis Iaponensibus tradita fuerint; declarat epistola Ludouici Frois in hunc modum. *Et quia Dominus Protasius Arimondonus ex graui morbo, quo decubuerat, adhuc languebat, nec poterat tam citò Patrem inuisere, misit certum hominem, qui renunciaret, se, quàm primum per vires posset, affuturum. P. autem Visitator de eo conueniendo cogitans, non existimabat id temporis publica, & solenni cerimonia (quemadmodum alioqui decebat) lignum S. Crucis, ensem, pileumq́, quæ S. D. N. Xistus V. per Dominos Iaponios ei miserat, esse porrigendum: tum quod ægritudine dicta detineretur: tum quòd Quabacondonus nihil dũ de tyrannide sua remiserat. quare, si res hæc innotuisset, facile poterat D. Protasius in aliquod venire discrimen. Verùm, ipse nullo modo voluit rem hanc sine debita solennitate perfici, maximè quòd tunc Arima nulli essent externi; consideretq́, planè subditos suos non esse rem publicaturos. Deinde aiebat, minimè conuenire honori suo, & existimationi, si dum sua sanctitas tanta beneuolentia, & gratia ipsum prosequitur, mittendo thesaurum tam preciosum ligni S. Crucis, non omni, qua possit, celebritate, illum reciperet. quare & volebat omnes equites, & Dominos suæ ditionis primarios conuocare, & magnum quasi festum instituere cum solenni processione, & magnifico apparatu. Sed, quia res erat periculi plenissima, facileq́, poterat ad aures Quabacondoni perferri, post varios discursus, & nuncios hinc inde factos, decretum est, vt actio hæc institueretur quidem cum solenni cerimonia, sed intra Ecclesiam; processiones autem, cum festis publicis non celebrarentur, nisi post patris discessum, idque eo nomine, quòd Dominus Protasius sanus Meaco reuertisset.*

Exstat Tom. epist. Ind.

Cùm ergo Arimensis Ecclesia, alioquin ampla, referta esset populo, multiq́, alij essent in porticu, & circum aram maximam, tabula imposita starent dona suæ sanctitatis ad D. Protasium, præsentibus quoq́, quatuor Dominis Iaponensibus veste preciosa amictis, cum organorum, aliorumq́, instrumentorum strepitu inchoata est Missa solennis, sacris operante P. Visitatore, cui seruiebant Seminarij alumni. Deinde, habita concio est, in qua declaratum est, quis scopus quatuor Dominorum Iaponensium in hac Legatione fuerit: cur tantus honor in vrbe Romana eis delatus, nempe vt nouellorum Christianorum animos sua sanctitas magis ad pietatem accen-

accenderet: nec aliam causam esse, cur honoris causa Domino Protasio, per nepotem suum, Dominum Michaëlem, hæc munera misisset. Prolixè quoque expositum fuit, quanto in precio S. Crucis lignum semper fuerit, sic, vt missum nunquam fuerit, nisi ad Principes magnæ dignitatis.

Aderant ergo præstituto tempore, vti erat constitutum, Iaponenses Domini; Dominus Michaël solenni ritu ferebat suæ sanctitatis Breue, impositum arculæ valdè elaboratæ, & pretioso velo contectæ, stipatusque aliis duobus Dominis; offerebat D. Protasio agenti in sacello maiori, qui, magna reuerentia, & submissione, prosternendo se ante suæ sanctitatis Breue, (quod summæ reuerentiæ apud Iaponios indicium est) arcula manu apprehensa, & in caput sublata, Breue accepit, & Patri cuidam ponè astanti dedit, qui illud clara voce Latinè legit, Patre Visitatore interim cum pluuiali splendido, quod sua Sanctitas in Iaponem miserat; cum Diacono, Subdiacono, aliisq; ministris proximè aram sedentibus. Lecto Breui Latino, lectum est eiusdem exemplar idiomate Iaponico à quodam fratre. Comparuit deinde Dominus Michaël ante Patrem, tenens manu gladium euaginatum; Dominus verò Mantius cum galero; Dominus Martinus cum vagina gladij argentea inaurata; & denique Dominus Iulianus cum Breui. Nam lignum sanctæ Crucis relictum est in altari. Post hæc subitò Dominus Protasius cùm prodiisset, & genua ante Patrem flexisset, in altaris gradibus Pater se erexit; & recitatis primùm aliquot orationibus ex Rituali Romano, reuerenter accepit sanctæ Crucis lignum, quod erat insertum fusili ex auro Cruci, in cuius summitate erat crucifixus, & catena aurea, quod cùm monstrasset, Dominus Protasius iterum in terram venerabundus se abiecit. Pater deinde illud capiti eius imposuit, ac postremo in collum his verbis iniecit; Accipe lignum sanctæ Crucis, &c. quæ sunt in eôdem Rituali.

Et post nonnulla: *Dominus Protasius palàm affirmabat, sibi in ipsa receptione sacri ligni Crucis nouas vires accessisse, & ad aliam vitæ rationem instituendam obligatum. Et mox curauit fieri arculam auream, in quam sancta Crux imponeretur: putabat enim eam, si nuda deferretur, non satis reuerenter tractari.*

Et mox: *Post hæc P. Visitator profectionem instituit ad Dominum Sanctium Omurandonum, D. Bartholomæi filium, cui eadem cerimonia, & solennitate tradidit sacrum lignum, & ensem, quæ ex parte suæ Sanctitatis Dominus Michaël attulerat. Iaponenses adierunt D. Protasium ei congratulando: recepitq; eâdem reuerentia, & gratiarum actione, qua D. Protasius.*

Hæc ex Iaponicis Historiis in gratiam Caluinistarum exscribere libuit; vt videant, adeo Crucis Dominicæ splendorem exstingui non posse; vt iam extra mundum cognitum ad incognitum radios suos porrexerit & diffuderit, & eo quidem tempore, quo Dæmon omnes suas copias ad euersionem Crucis ex stygiis sedibus emisisse videbatur.

Accepi

Accepi ante bimestre ab amico quodam ex Italia literas Reuerendissimi Domini Bonifacij Stephanij Stagni Raccusini olim Episcopi; quas hic publicare visum; quia continent nonnulla de sepulchro & Cruce Domini, quæ nosse interest his temporibus, quando Sectarij in illud & in hanc tam furiosè debacchantur. Exemplum Epistolæ.

Frater Bonifacius Stephanius Dei dono, & Apostolicæ Sedis gratia Stagni Raccusini Episcopus, vniuersis has literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Cum anno salutis nostræ M. D. L V. fabrica illa celeberrima ab Helena sancta Magni Constantini Matre iam olim structa, S. D. N. R. sepulchrum in orbem claudens non sine Christianæ pietatis iniuria ruinam minaretur, ac iam fermè collapsa esset, fe: re: Iulius Papa III. (quem ad hanc rem perficiendam æterni nominis, ac perpetuæ memoriæ inuictissim' Carolus V. Romanorum Imperator, nec non Deo gratus Philippus eius filius Inclytus precibus pulsarunt) instantem ruinam dolens, nobis, qui id temporis conuentus S. Francisci de obseruantia Hierosolymis Præfectum Apostolica auctoritate agebamus, obnixè præcepit, vt sacrum collabentem locum quamprimum refici, instaurariq; curaremus, id quod illustrissimus quoq; D. Franciscus Vargas Cæsareæ Maiestatis tunc apud Venetos Orator, non minori studio, vt perficeretur vrgebat, magna ad operis illius constructionem pecunia summa Imperatoris nomine nobis assignata. Quare Solimanni Othmani Turcarum Regis prius ad id facta nobis copia, quam magnis, difficillimisq; itineribus confectis; summis laboribus, & expensis tandem obtinuimus, exoptatum opus sedulò aggressi sumus.

Cum igitur ea structura solo æquanda necessariò videretur, vt quæ instauranda denuò moles erat, firmior surgeret, diuturniorque permaneret, ea diruta SS. Domini sepulchrum in petra excisum nostris sese oculis apertè videndum obtulit. In quo Angeli duo depicti superpositi cernebantur, quorum alter scripto dicebat. Surrexit non est hic. *Alter verò sepulchrum digito notans.* Ecce locus vbi posuerunt eum. *Quorum imagines vbi primum vim aëris senserunt, magna ex parte dissolutæ sunt. Cum vero lamina vna alabastri ex iis quibus sepulchrum operiebatur, & quas Helena sancta ibi locauerat, vt super iis sacrosanctum Missæ Mysterium celebraretur, necessitate*

vrgente commouenda esset, apparuit nobis apertus locus ille ineffabilis, in quo triduo filius hominis requieuit, vt planè cælos apertos videre tunc nobis, & illis, qui nobiscum aderant omnibus videremur. Erat locus sacrosancto Domini IESV *cruore, vnguento illo, quo ad sepulturam vnctus fuerat, permixto, tanquam fulgentibus solis radiis vndequaque lucens, quem piis gemitibus, & spirituali quadam animi lætitia & lacrymis excipientes & conspeximus, & deosculati sumus, sociis, qui præsentes aderant, (aderant autem & Orientalium, & Occidentalium Nationum Christiani non pauci) incredibili referti cælestis thesauri deuotione, aliis lacrymis profundentibus, aliis propemodum exanimatis, omnibus animi quadam exstasi obstupescentibus.*

In medio sacrosancti loci lignum reperimus collocatum, ac sudario pretioso inuolutum, quod cum in manu reuerenter suscepissemus, deosculatíque fuissemus, vbi primum illud aëri expositum est, inter manus nostras sudarium in nihilum abiit, nonnullis aureis filis ex illo solum manentibus. Erant pretioso illi ligno inscriptiones quædam adiuncta, sed ita vetustate corrosa, & antiquata, vt nulla omnino integra ex illis verbis sententia colligi posset, quamuis ad caput cuiusdam membranæ verba hæc Latinis literis maiusculis legebantur: HELENA MAGNI. *Vnde quamuis certò affirmare non possumus cuiusmodi illud lignum sit, non difficile tamen coniectari licet, hoc illud ipsum sanctissimum Crucis lignum esse, quod à Religiosissima Regina Helena inuentum, & Hierosolymis ab eadem positum esse sacris historiis proditum est. Cuius quidem ligni crucem vnam Hierosolymis reliquimus in phano D. Mariæ de Apparitione iuxta Domini* IESV *sepulchrũ super altari eidem D. Cruci consecrato, partem aliã Romam nobiscum attulimus, inq; particulas aliquot in Crucis formam compositas eam diuisimus. Ex quibus vnam Pontifici Summo sacras tunc temporis totius Christi Ecclesiæ habenas regenti Pio IV. obtulimus, duas Illustrißimis ac Reuerendißimis Dominis Cardinalibus viris Christiana pietate maximè insignibus de* Carpo *videlicet, & de ara cæli nuncupatis libenter donauimus. Crucem paruulam nobis seruamus, qua dum sacra peragimus, vti reuerenter solemus.*

Crucis beneficio singulare quoddam miraculum Deo Opt. Max.

auctore experti sumus. quod libet paucis hoc loco commemorare. Cum iter aliquando difficile suscepissemus, atque in locum quendam maximè periculosum in Ciliciæ finibus positum nomine Bachras noctu incidissemus, inque profundam quandam voraginem cœno refertam peruenissemus, in qua multi ex Mahumetanis, qui nobis se socios adiunxerant, magnum vitæ discrimen tum ipsi, tum ipsorum equi sustinuerant, ac mihi postmodum in eam voraginem descendendum esset, animo grauiter consternatus, vt qui manifesta in sociis pericula vidissem, Deo me, eiusque beatissimæ Matri Virgini Mariæ suppliciter commendans, crucem iam dictam in manus accepi, ipsaque me cum primum omnium signassem, tum reliquos qui mecum aderant Christianos omnes & regulares, & seculares signo eodem muniui, tunc (mirabile dictu) noctis illius obscuritas mox in magnum quendam lucis splendorem conuertitur, summa nostrorum omnium alacritate, nec minori infidelium qui nobiscum aderant, admiratione, atque ita factum est, vt & nos & illi, qui nos sequebantur omnes Christiani atque infideles, in illo sanctissimæ lucis splendore eam periculosam voraginem feliciter euaserimus. Quæ omnia in Christi Domini gloriam & communem fidelium consolationem nota facere cunctis decreuimus, atque in eorum fidem præsentes manu propria subscriptas, maiori nostro sigillo, quo in similibus vti solemus signari præcepimus. Datum Stagni in ædibus nostris sub die 13. Maij, anno à Christo nato supra septuagesimum millesimo quingentesimo.

Ego frater Bonifacius Episcopus Stagni confirmo omnia quæ supra continentur manu propria.

Hactenus Episcopi Stagni Raccusini literæ. vbi ad illud; HELENA MAGNI, adiiciendum videtur: CONSTANTINI MATER, quæ nescio num ad Constantini æuum referenda sint: Constantino enim antiqua æra & marmora MAXIMI cognomentum tribuunt, non item MAGNI, nisi fortè Antiquarius quispiam legitimum ex antiquitate testimonium prolaturus sit, quo contrarium euincatur.

Franciscus Vargas, cuius fit mentio; postea apud Pium IV. Pontif. Max. Philippi Regis Catholici Legatus fuit; ad quem exstat oratio Petri Ioannis Perpiniani anno M.D.LXII. Romæ dicta.

Lignum, quod repertum est, si S. Crucis fuit, pars eius fuit, quod Hierosolymis Helena reliquit, non integrum; quia omnibus sæculis aliquid de portione, quam Hierosolymis Helena reliquerat, publicè cultum & adoratum fuit, vt ex omnium ætatum à Cruce per Helenam inuēta Annalibus cōstat. Sanctum fuisse ac venerabile lignum ostendunt circumstantiæ, & grandis miraculi euentus, de quo ipsemet Auctor epistolæ; cuius exemplum ex autographo ipsius Auctoris desumptum, publica Notarij & testium fide, ex præscripto Iuris solenni ritu Romæ corroboratum est.

CAPVT VI.

Defenditur primum & secundum argumentum Bellarmini pro Crucis imagine, eiusq; veneratione.

Bellar. cap. 28. Vide lib. 1. de S. Cruce ca. 91. Tom. 1. & lib. 3. cap. 8. Tom. 3. de S. Cruce. Et in Append. prima ad hunc tertiū librum cap. 2.

PRIMVM argumentum sumitur ex illo Matth. 24. *Tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Iunius cum Caluino & Caluinicolis intelligit per *signum filij hominis, ipsum filium Dei.* At Patres in Crucem conspirant; vt ostendit Bellarminus, & nos in opere de Cruce. Nec quidquam adfert Iunius, quod nostram sententiam labefactet. Nam quòd ait; *morem vsurpandi signum filij hominis pro Cruce seu Crucis imagine, recentiorem esse seculo & scriptis Apostolorum,* id si solidè probaretur, aliquid ponderis haberet; nunc cum temerè duntaxat affirmetur, iure à nobis exploditur. Quantò rectius dixisset, rem esse planè nouam, vt *signum filij hominis,* accipiatur pro ipso *filio hominis*; perinde ac si diceres: Signum Regis accipi pro ipso Rege. Signum pluuiæ, pro ipsa pluuia.

Citat Bellarminus Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, alios. Iunius: *Ex Origene locum adferri velim.* Lege tract. 30. in Matthæum; & postulato tuo satisfiet. Inter cætera sic scribit Origenes: *Quia signum filij hominis, in quo cælestia facta sunt, quæ in cælis erant, & quæ in terris, tunc apparebit; vtputa, virtus, quam operatus est filius suspensus in ligno, & in cælo maximè fulgebit signum ipsius, & homines ex omnibus tribubus, qui prius non crediderunt Christianitati annunciatæ, adhuc autem malè de ea dixerunt, tunc recognoscentes per signum illud manifestatum plangent se. &c.*

Ibidem: *Sicut in dispensatione Crucis, sole deficiente, tenebræ factæ sunt super omnem terram: sic & signo filij hominis apparente in cælo deficiet solis lumen & lunæ, adhuc & stellarum, quasi consumptum à multa virtute signi illius.* Quod testimonium protuli quoque in opere de Cruce. Sed moneo, verba illa: *Signum enim Crucis hic intelligimus, vt videant, iuxta Zachariam & Ioannem Iudæi, in quem compunxerunt, & signum victoriæ*; Pari charactere cum

Lib. 1. cap. 91.

testimo-

testimonio Origenis per incuriam excusa, non esse Origenis, sed mea ex S. Hieronymo in cap. 24. Matthæi desumpta.

Dices: Origenem non loqui de Cruce, sed de virtute Crucis. Respondeo, eum non excludere signum visibile, in quod improbi intuentes, errorem suum, licet serò, agnoscant, & quantopere à veritate auij abscesserint, perspicuè intelligant: At virtus Crucis sine ipsa Cruce, non est visibilis; dicere ergo oportet, fore, vt virtus, quam Christus in Cruce operatus est, reluceat in materiali quopiam signo. Quod autem signum aptius ad hanc repræsentationem, quàm ipsa Crux, in qua virtus illa primitus patrata fuit? quia enim hæc Crucis virtus omnibus innotescere debet, ideo maximè visibile signum filij hominis in cœlo apparebit.

Chrysostomum, Hieronymum, alios, fatetur Iunius per *signum filij hominis* intelligere Crucem. Sed ait; *eos hoc fecisse ex superstitione, quæ inualuerit à Constantini ætate propter visionem illi oblatam.* Os Caluinistæ. Patres sanctissimos & vetustissimos, Catholicæ pietatis *plantatores, rigatores, ædificatores* postulare audet nouellus iste, & ex nupera pluuia productus fungus, impietatis, & hoc non semel & obiter, sed quoties nulla alia, qua euadat, rima patescit.

Ait; *Patres aliquando veram interpretationem attulisse.* Quænam illa? Num Caluiniana, quæ *signum filij hominis* vocat ipsum filium hominis? Exemplum proferri velim alicuius Patris ex eorum numero, quos Bellarminus nominauit. Et hoc meum postulatum longè est æquius, quàm illud Iunij de Origene. Satis verò nobis est, Patres *signum Crucis* apud Matthæum de Cruce Christi exposuisse; nam eundem locum plurifariam, literaliter quoque, explicari posse constat: quod enim Iunius patres *allegoricè*, hoc est, figuratè, *locutos* clamitat, quid refert? Dicatur *figuratè*, hoc est, tropicè, Crux signum filij hominis: num ideo euertetur, vel impedietur id, quod ex hoc loco Bellarminus probare instituit? vt taceam, istum semper ineptè *allegoriam* cum metaphorico sensu confundere; cum allegoria propriè & Theologicè loquendo, non consistat immediatè in verbis, sed in re significata rem aliam significante.

Quapropter vana est hæc Iunij obiectio. *Est argumentatio ex propositione figurata, ergo nullius pretij.* Quoties Christus; quoties Apostoli à rebus figuratis, hoc est, à parabolis & similitudinibus argumenta petunt? Tametsi hic Bellarminus nondum argumentatur. Tantùm dicit, signum filij hominis apud Matthæum pro Cruce accipi, siue postea accipiatur propriè, siue tropicè & figuratè, quid ad rem?

Illud lepidum, quòd odio Crucis inductus Caluinista affirmat,

Patres cum per *signum filij hominis Crucem intelligunt, intelligere Christum crucifixum*. Hoc sensu: *Tunc parebit signum filij hominis*, id est, *tunc apparebit crucifixus*. Quid tropum quæris, vbi omnia sine tropo clara; & vbi non nisi ineptè tropum statuis? Quis enim sensus erit huius Chrysostomianæ orationis: *Quid mirum, si Crucem portans adueniet, &c.* Et huius S.Ephremi: *Dominus noster Crucem suam in forma resplendente ostendet crucifixoribus suis, &c.* Primæ quidem hic efficietur sensus. Quid mirum, si Christus *crucifixum*, hoc est, seipsum, portans aduenict. Alterius iste. Dominus noster Crucem suam, id est, *crucifixum*, in forma relucente ostendet crucifixoribus suis.

S.Chrys. homil. de Cruce & latrone. S.Ephrem. de laud.Ioseph.

Obiicit Iunius: *Hieronymum non affirmare, sed duas sententias afferre, liberumq; permittere lectori iudicium.* Audiamus ergo S.Hieronymum: *Signum hic aut Crucis intelligamus, vt videant (iuxta Zachariam & Ioannem) Iudæi, quem compunxerunt: aut vexillum victoriæ triumphantis.* An non affirmat hic per signum filij hominis posse Crucem accipi? Nam quòd Hilarius *salutare signum* duntaxat nominat, quid refert? cum sine vlla alia adiectione nomen hoc per antonomasiam Cruci tribui soleat; vt patet ex elogiis, quibus patres Crucem cohonestant.

S.Hilar. in cap. 24. Matth. Vide lib. 1. de S.Cruce cap. 55. & hom. Græcorum Patrum in S. Crucem Tomo 2. de Cruce.

Nec placet Iuniano stomacho illud Ecclesiæ: *Hoc signum Crucis erit in cælo, &c.* *Ex superstitione natum & in Ecclesiam illatum* criminatur. Vbique sui similis est Iunius. Quidquid aliter à se amoliri nequit, illud superstitionis obiectu repellere contendit. Cantabat vniuersa Ecclesia lætis & sonoris vocibus: *Hoc signum Crucis erit in cælo cum Dominus ad iudicandum venerit*; nemo quidquam superstitionis odorabatur, donec isti Crucis hostes ex Auerni faucibus emerserunt, & omnia fermè, quæ Crucem concernunt, superstitionis probro infamare occœperunt.

Carpit Caluinista illum quoque Sibyllæ versum, de quo supra:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Non dicit, ô signum, tanquam de imagine, inquit Iunius; *sed ô lignum, tanquam de Cruce ipsa.* Audi Caluinista. Bellarminus his Sibyllæ versiculis nil aliud probare instituit, quàm, Christo ad iudicium veniente, apparituram in cœlo Crucem; quòd Sibylla palam & expresè asseuerat; hoc satis est Bellarmino; siue postea versiculi illi loquantur de prima Cruce, in qua Christus redemptionis nostræ mysterium peregit; siue de primæ Crucis imagine: id enim ad propositam quæstionem nihil interest: nec à primo versiculo propterea excluditur imago Crucis, quia Sibylla dixit: *O lignum*; non, *ô signum felix*; quia etiam imagini

gini Crucis verè accinitur, ex quacunque tandem materia constet. *O lignum felix*: quod perspicuum, si Crux ex ligno confecta sit; sin ex alia materia; tum verè etiam lignum dicitur, sed per repræsentationem: nam repræsentans & repræsentatũ habitudine & analogiâ vnũ sunt.

Veram & primam Crucem apparituram in cælo ex Sibyllæ & Chrysostomi sententia, Iunius ne ad aures quidem admittit, nedum ad mentem. *Negamus*, inquit, *ista somnia à Sibylla, aut à Chrysostomo dici.* Nil aliud postulo, quàm vt citati Sibyllæ versiculi legantur & expendantur: vt & hoc S. Chrysostomi: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit in cælum, & ideo cum ipsa veniet, & cum ipsa secundam gloriosam suam præsentiã faciet.* Somniator fuerit, quisquis dixerit, hoc, quod Sibyllæ & Chrysostomo, Bellarminus tribuit, somnium esse. Et quidem, vt Iunius mentitur, *nouitium, & patribus inauditum: Et hanc ob caussam eos non contradixisse.* Quomodo nouitium, si â Sibylla & Chrysostomo traditum? Quomodo patribus inauditũ? An nemô hos Sibyllæ versiculos legerat, viderat? An nõ primus exstat apud Sozomenum?

Chrysost. Hom. de Cruce & latrone. Vide lib. 1. de Cruce cap. 92.

Clamat Caluinista: *Nil sequi ex oratione figurata, seu tropica.* Crassa est hæc ignorantia, vt alibi sæpius ostensum: An nihil ex vllo tropico orationis genere concludere licebit? Nam quod Theologi dicere solent, ex sensu mystico seu spiritali, non duci argumenta; longè aliud est; & non nisi certo temperamento, verum, vt in tertio libro defensionis Bellarminianæ de Verbo Dei, vidimus. tametsi Bellarminus hoc loco aliud ex alio non cõcludit; sed prolatis solummodò Sibyllæ & Chrysostomi dilucidis testimoniis, demonstrat, Crucẽ siue primam, siue primæ imaginem, Christo ad supremum iudicium veniente; in cælo apparituram.

Calumniatur, *Bellarminũ malè concludere ex auctoritate negatiuè.* Profert Bellarminus testimonia Sibyllæ & Chrysostomi, quibus asseri videtur, primam Crucem Christi ad iudicium aduentum antegressurã. Subditq; alios patres huic sententiæ non contradixisse: Et hoc est grande illud crimen, quod Bellarmino hic exprobrat Iunius: quia implicitè tale argumentum formauit. *Alij patres non contradixerunt Sibyllæ & Chrysostomo, probabile ergo est, eos probasse, quod Sibylla & Chrysostomus videntur asserere.* Quid vitij in hoc argumento? Dixi alibi: non omnẽ argumentationem ab auctoritate negatiuè esse cassam & elumbem: Nam si circumstantiæ eæ sint, vt verisimile sit, patres contradicturos fuisse huic vel illi dogmati ab his vel illis tradito; si id suffragio suo, saltẽ tacito, non cõprobassent; tum nõ ineptè colligimus: *Non cõtradixerunt; ergo probarunt: saltem tacitè. Patres non contradixerunt iis, quæ S. Augustinus contra Pelagium scripsit; ergo probarunt.* Quis de bonitate huius collectionis dubitet?

Tandem, vt Iunius vno ictu multa deiiciat, vociferatur; *commentitia omnia*: nec aliam ob caussam, quàm quia vt ea credat, ab animo suo Caluinistico impetrare non potest. Hic primus est fons & prima origo, cur omnia Iuniano cerebro appareant *commentitia*.

Postquam Bellarminus probauit Crucem vniuersis hominibus sub vltimi iudicij tempus congregatis ad contemplationem propositum iri; ostendere inde incipit, crucem cultu dignam esse. *Nec Cruci, si exstet, nec Crucifixo Christo negamus honorē suum*, inquit Iunius. Hic disputamus de imagine Crucis; q̄ quomodo Caluinistæ honorent, docebit te liber secundus de sancta Cruce, & hoc itidē sacrilegū factum.

Cap. 68. & 70.

Exstāt Catholicorum Heluetiorum querelæ ad Tugurinos, Anno 1524. typis excusæ; in quibus tertia est; *Quendam Zvvinglianum Stambeimij in Turgouia arreptam Crucifixi imaginem arripuisse, & frustatim concidisse, addito hoc improperio: si Deus es, sanguinem emittes.* Cum ad iustissimā hanc querimoniām respondendum esset; Zvvingliani, quasi lupum auribus tenentes, rem silentio transfigendam censuerunt. Cogitabant enim, si factum hoc improbemus; improbabimus nostrā doctrinam, cuius professio est imagines confringere, & Cruces demoliri. Si verò probemus; offensām confœderatorum incurremus: Vt ergo nec in hanc, nec in illam partem impingamus, silebimus, vel pauculis implicatis & obliquis verbis nos expediemus.

Christum Crucifixum ita honorant Caluiniani, vt humanæ eius naturæ cultum diuinum deferre contumaciter detrectent.

Imaginem Crucis esse honorandam fusissimè probaui lib. 2. de Cruce cap. 65. Tom. 1. & Tom. 3. lib. 5. cap. 8.

Honorabilis est Crux, quia est signum, hoc est, vexillum Christi, hoc encomio ab ipso Christo cohonestata. Iunius. *Negamus hanc interpretationem esse ex mente Christi.* Negas, sed vbi negationis ratio? Hanc neque hic adfers, neq; supra attulisti: nisi fortè pro ratione nobis esse vis Vatinianum tuum in Crucem odium, quod te ad hanc omnia negandi cæcam temeritatem impellit.

Est Crux honorabilis, quia apparebit in cælo loco sublimi & honorifico. Nil aliud Iunius; *quā, scripturam hoc dicere de Christo, nō de Cruce*: Scriptura hoc dicit de Christo, & signo eius; at signū Christi est Crux. Ipsa igitur Crux quoq; in sublimi & honorifico loco conspicietur.

Dicit Bellarminus; Crucem iudici Christo manibus Angelorū prælatum iri. Obstrepit Iunius. *Hæc dici ornatu Rhetorico, in quo Chrysostomus sæpe licentiosius exultauerit.* Addit Bellarminus ex Augustino & Chrysostomo, splendorem Crucis fore clariorem sole. *Et hoc itidem dictum Rhetoricè.* Omnia *ῥητορικῶς*. Omnia apud Iunium *ῥητορικώτερον*, quasi Theologia sit *ῥητορεία*, non tam ad veri simplicitatem, quàm ad exaggerationum & hyperbolarum duplicitatē conformata. Rhetor eloquen-

quentissimus fuit Chrysostom. Sed nō eius hostis, qui res religionis mendaciolis aspergi posse, ius fasque duceret, & ea, tanquam futura, suis auditoribus proponeret, quæ nunquam futura crederet.

Addit Iunius: *Homiliam illam non esse Augustini, sed alicuius scioli, qui Chrysostomi Homiliam primam de Cruce & Latrone transtulerit, vtcunq; potuit, eamq; exceperit malè locis quàm plurimis.* Liceat, quæso, pace tua, ô Critice, Homiliam illam, quæ ex Chrysostomo consarcinata videtur, citare nomine S. Augustini, cuius augusto nomine tam diu insignitur. Nihil continet, cuius S. Augustinus defensor vel Auctor videri nollet. Interpres, si non omnia verbatim reddidit, eo fine id fecit, quia non versionē, in qua verbum verbo responderet, sed vel paraphrasin, vel translationē, quæ sensum exprimeret, adornare instituerat. Sufficit nobis, eam Homiliam esse Chrysostomi, etiam Iunio fatente; nam quod illius auctoritatē per *fucos Rhetoricos eleuare* aggreditur Caluinista, nihil proficit; nam vt Chrysostomus summus Rhetor fuerit, fucatus tamen nō fuit. quia fucus fallacia est & deceptio, à qua S. Chrysostomi tota viuendi ratio longissimo interuallo disiuncta fuit.

Argumentum secundum petit Bellarminus à Conciliis: Nam Synodus VI. Can. 73. Synodus VII. Act. vlt. & Synodus VIII. Act. itidē vlt. Canones ediderunt de veneratione Crucis. Respondet Iunius. *In Concilio VI. propriè agi de eo tantùm, quòd signum Crucis nō oporteret humi sculpi, aut pedibus conculcari; nēpe, ne aut infirmis offensæ aut infidelibus & aduersariis ludibrij praberetur argumentum.* Sit ita, vt scribis; Quęro, vnde hęc existimatio Crucem humi non esse efformandam processerit, quàm ex generali illa opinione, Crucem esse honorandam; cui persuasioni obsistere videbatur mos effingendi Crucem humi, vbi pedibus transeuntium conculcabatur.

Synodi septimæ errorem auctum esse ab octaua, conuicium est Iunij, qui quod vtriusque Concilij auctoritatem pernegat, nihil ab Iconomacho suo genio alienum facit.

De Canone XXCIII. Trullano disputat extra ordinē Iunius. Nihil de eo Bellarminus. Quapropter & ego ad alia gradum facio; nam quid de hoc Canone, qui picturam Christi sub forma Agni vetare videtur, sentiendum sit, explicatum inuenies in Opere de Cruce. Neq; quidquam ad Crucis venerationem Canon ille pertinet. *Lib. 2. Cap. 11.*

Tantùm notetur noua significatio vocis σεπτὸς, quā bono publico Iunius iam primū reperit; quæ si Lexicis adiiciatur, nō parū vendibilia efficiet. Quæ est ergo hæc noua significatio? *Græcis σεπτὸν nō tantū est venerabile, sed & id q non est cōmune aut profanū: ergo si mētio occurrat τῶν σεπτῶν εἰκόνων, ne intelligas, venerabiles vel veneratione dignas imagines*, sed. *non commu-*

communes, non profanas: Et hac notione imagines à Canone Trullano appellatas esse venerabiles.

O acumen, cui vix par Geneua protulit. Certè Thesaurographus Geneuensis tam acutus non fuit; Hanc enim τῦ σεπτῦ notionem non vidit. Sed vidit Iunius, ex quo quæro; Si imagines sunt σεπταὶ, hoc est, *non communes, non profanæ*, cur non modò repudiantur à Caluinianis, sed & nefariè *idola* nominantur? Et quid est esse *non commune, non profanum*, quàm esse veneratione dignum? ergo & σεπτὸν; neque vllus ex Græcis auctoribus vnquam producetur, qui imagines alio, quàm ad venerationem respectu, σεπταὶ appellauerit, à σέζω vel σέζομαι, quod est, *colo, veneror, adoro.*

CAPVT VII.

Cauillationes Iunij contra tertium Bellarmini argumentum.

TERTIVM argumentum est ab vsu & testimoniis veterum, inter quos primus Iustinus Martyr, qui ait: *Signa & nota, quæ apud nos sunt, huius rei virtutem declarant.* Iunius. *Nec Crucis Iustinus dixit, nec imaginis, aut signi Crucis.* Nec Bellarminus dixit, Iustinum verbis illis à se recitatis, voculam Crucis adiecisse, sed vt eam se addidisse significaret; alio charactere excusam, parenthesi inclusit. Addidit autem, claritatis caussa, quia eo loci Iustinus de Cruce adeo expresse & disertè & quidem pluribus disserit, vt eum, qui id neget, omnem penitus frontem exuisse oporteat.

Iust. Apol. 2.

Inter quos merito suo repones Iunium, qui ne Iustini auctoritate opprimatur, hæc in chartas referre religioni non habuit contra manifestum textum & sensum Iustini. *Res de qua loquitur in eo loco, est totum opus perpessionum Christi in Cruce.* Volue & reuolue te in omnes partes, non elaberis, ô callide & lubrice serpens. Nam postquam Iustinus varia de virtute Crucis ex Prophetarum oraculis prælocutus fuerat, illamque diuinæ fortitudinis symbolum nominasset, probare ingreditur, quomodo in his etiam rebus sub aspectum cadentibus, vix quidquam absque Cruce seu Crucis figura peragatur.

Considerate, inquit, *res in orbe cunctas, an absque forma ista* (Crucis) ἄνευ τῦ σχήματος τύτυ, *administrare quidpiam, aut commercium aliquod habere homines queant. Mare certè quidem non scinditur, nisi trophæum hoc, quod antenna, siue velum vocatur, in naui integrum maneat. Terra absque hoc non aratur. Fossores autem opus non faciunt, neque itidem manuarij artifices, nisi figuram hanc habentibus instrumentis. Præterea verò facies humana non alia re ab animalibus ratione carentibus magis differt, quàm quod rigida, directaque sit, & extensionem manuum habeat,*

habeat atq; in vultu à fronte prominentem preferat nasum, qui dicitur, per quem respiratio est animanti, nõ aliud, quã Crucis formã ostendentem. Et per Prophetam quoq; ita est dictũ: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.

Quin & signa vestra figuræ huius vim præferunt, & declarant (vexillorum signa dico, aliorumq; insignium) & trophæorum, per quæ progressus à vobis in publicum, quouis locorum fiunt, imperij, & potestatis indicia in hisce ostendentibus: licet hoc non intelligentes faciatis. Et qui apud vos moriuntur, Imperatorum imagines forma ista consecratis, & Deos inscriptionibus nominatis. Quapropter cum ratione simul, & oratione, nec non figura, ea, quæ propalam cernitur, quoad potuimus, vos simus (ad placabilitatem) cohortati: extra noxam & culpam omnem nos fore deinceps scimus, quamuis vos increduli esse pergatis. nam quod nostri fuit officij, factum à nobis est, & ad finem perductum.

Hæc omnia Iustinus apertissimè de Cruce. Et tamẽ Caluinianus iste nobis vult oculos eruere; vt Iustinum inspicere nõ valentes, persuadeamus nobis eum loqui non de Cruce seu externa figura Crucis, sed de Passione Christi in Cruce. Verum de hoc Iustini loco copiosè disserui Tom.3. de S. Cruce contra Hospinianũ & Danæũ Caluinistas. *Lib.3. cap.2.*

Post Iustinum citat Bellarminus Tertullianum, & Minutium in Octauio; qui respondent obiectioni Gentilium de adoratione Crucis ligneæ. Iunius. *Siue lignea, siue lapidea, nihil hoc ad quæstionem facit.* (Tu dicis, sed non probas) *Gloriabantur Christiani apud Gentiles de Cruce Christi. Hi obiiciebant, Crucem à Christianis coli. Tertullianus primùm negat.* (Nec negat absolutè, sed eo sensu negat Crucem à nobis coli, quo cultum Crucis Ethnici Christianis exprobrabant) *deinde ex hypothesi probat, si Crucem colerent Christiani, non posse illud esse apud Gentiles crimini, quibus Crux ad omnia fermè religiosa est.* (Hypothesis in eo consistit, Christianis non posse ab Ethnicis vitio verti, etiamsi Cruces colerent, eo videlicet modo, & cultu, quo eas à Christianis coli arbitrabantur, quandoquidem cultus ille Christianis cum Ethnicis cõmunis esset.) *Negare Tertullianum disputator si non vidit, cæcus fuit.* (Cœcus fuisset, si id quod nusquam est cum Iunio vidisset. Vbi negat Tertullianus crucem vllo modo à Christianis coli? Facite, vt aures pateant, iam enim id explicare Iunius ingreditur.) *Duo instituerat in fine cap. 15. repercutere opiniones falsas, & veritatem ostendere.* (Non refragabor, sit ita.) *In opinionibus falsis, putà earum rerum, quas falsò Christiani dicebantur colere, ista recensentur cap. 16. atq; refelluntur: Adoratio capitis asinini: adoratio Crucis, adoratio solis, & adoratio Onocœtis quæ fermè cum prima conuenit. Hæc omnia Septimius negat, & falsas opiniones vocat.* (De Cruce non negat absolutè, sed ex hypothesi persuasionis, qua tenebantur Ethnici, vt antea dictum.) *De Cruce autem negat euidentissimè,* (ita tibi videtur, & hanc summam fictitiæ negationis euiden-

Vide quæ de Tertull. diximus Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 2. & 3. & Tom 3. lib. 3 c. 1. Rursus Tom. 1. lib. 1. cap. 54.

euidentiã ingenerat animo tuo incensum illud odium, quo in Crucem, eiusque venerationem ardes.) *Cum initio sermonis de eo instituti ait*; Sed & qui Crucis nos putat, *putat, inquit, opinione falsa videlicet, deinde illudit: consecraneus noster erit.* (Quanta lux euidentiæ. Mirum vllos mortalium reperiri, qui in hac tanta luce cæcutiant. Etiamsi illud; *opinione falsa*; à Tertulliano esset, necdum Iunius rem factam haberet. Nam falsam nominasset, non quocunq; intuitu, sed respectu ad Ethnicos, qui existimabant, Crucem eo modo & cultu â Christianis coli, quo ipsi sua simulacra colebant, nempe, vt Deũ: quod à vero alienissimum erat. Nunc cum de *falsa opinione* nihil dicat Tertullianus, multò minus euidens est, quod Iunius pro euidentissimo habet. Sed Iunio etiam obscura fiunt euidentia, dummodo ad Crucis gloriam obscurandam facere videantur.

Nec fauent Iunio verba illa, quæ, absoluto de cultu Crucis sermone, subiicit. *Alij planè humanius & verisimilius solem credunt Deum nostrum. Adorationem Crucis*, inquit Iunius, *nec humanè, nec verisimiliter obiici Christianis docens*: Crucis nimirum vt Dei, seu numinis. Considera autem, quàm sit Iunius mentis Tertullianeæ eximius explanator. Duo illa vocabula: *Humanius & verisimilius* refert Tertullianus ad eos, qui credebant à Christianis solem pro Deo coli. At Iunius ea longè alio torquet; nimirum, *nec humanè* nec verisimiliter Christianis veneratione̅ Crucis obiici. Quæ explicatio bona esset; si Tertullianus id, quod Iunius volebat, dixisset. Nunc cum dixerit, non quod Iunius, sed quod ipsemet voluit, haud ferendum est, vt Caluinianus inuito Tertulliano suam mentem affingat.

Nec suffragantur Iunio postrema verba capitis XVI. *Quæ omnia conuersi iam ad demonstratione̅ religionis nostræ repurgabimus. Quod colimus nos*, (cultu diuino absoluto) *Deus vnus est, quasi dicat*, inquit Iunius, *vnicus est ille, quem colimus*, vt Deum scilicet. Quis enim Crucem vnquam, ceu Deum suum coluit? *Nec fallit, nec fallitur Bellarminus, dum ita argumentatur, vt probet imaginem Crucis à priscis habitam.* Quia verè habuerunt; etiam Tertulliani æuo; quod ipsi Centuriatores non diffitentur, vt ostensum in Opere de S. Cruce.

Tom. 1. lib. 2. cap. 2.

De hoc testimon. Minutij vide lib. 1. de Cruce c. 60. in fine.

Crucis cultum, inquit Iunius, *Christianis verè tribui negat Minutius*: Eo nimirum sensu, quo tribuebatur ab Ethnicis, non eo, quo exercebatur à Christianis, vt antea de Tertulliano dictum.

Orig. lib. 6. in Epist. ad Roman.

Ait Origenes, *Crucis figuram ante oculos positam, valere ad depellendam omnem tentationem.* Occinit Iunius, *hoc intelligi debere de Christo Crucifixo.* At nil opus tropum quęrere, vbi tropus eo duntaxat fine quæritur, vt cultus & reuerentia erga sanctam Crucem subuertatur, & ex fideliũ pecto-

pectoribus expungatur. Per Crucifixum depellitur omnis tentatio; vt per causam principalem; per Crucem, vt per instrumentalem.

Ait Bellarminus, Constantinũ Magnum Labarũ in formã Crucis redegisse. *Negatur,* inquit Iunius. At temerè à te negatur, vt & illud: *nusq̃ hoc ab Eusebio dici.* Nam lib. 1. de vita Cõstantini cap. 25. id dicitur. Et loco à Bellarmino adducto, nempe lib. 9. Hist. Eccles. cap. 9. An nõ hoc in capite, ex versione Ruffini, leguntur ista? *Exin signum, quod in cælo sibi fuerat demonstratum, in militaria vexilla transformat, ac Labarum, quem dicunt, in speciem Dominicæ Crucis exaptat.*

Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. cap. 37. & 39. & Tom. 3. lib. 3. cap. 8.

Ait Bellarminus. Labarum fuisse adoratum, & postea Crucem in Labaro. *Æquiuocè* clamat vniuocus Caluinista: Et per *æquiuocum* honorem intelligit, honorem humanum & ciuilem. Quam ineptiam iam non semel refellimus. *At Labarum ante Constantinum Crucis speciem præferebat.* Fatetur hoc Bellarminus, sed addit: non propriè Crucis figuram habuisse. Iunius. *Quid illud est; nõ propriè Crucis figuram habuisse? An ergo & figura aliqua fuit impropria? Fabulæ.* Assentior Epimythio. Fabulas loqueris, fabulas scribis. Labarum ante Constantinum speciẽ Crucis habuit, non ex instituto & destinatione, sed quasi casu & fortuitò (vt in multis euenire videmus, in quibus fortuitæ Crucium figuræ visuntur, eamq; ob causam non propriè, sed impropriè; at Cõstantinus deliberato cõsilio Labarũ Crucẽ esse voluit, quippe typũ & figurã cũ eius Crucis, quę sibi diuinitus oblata fuerat, tum etiã crucis Christi, additis variis ornamentis, & cælestium mysteriorũ ænigmatibus, vt ex Eusebio in Opere de S. Cruce copiosè demõstrauimus.

Vide Tom. 1. de S. Cruce cap. 39. & Tom. 3. lib. 3. cap. 8.

Tom. 1. lib. 2. cap. 32.

Itaq; cum Iunius ex Tertulliano & Minutio Labara, Cantabra, & signa militaria Crucis formam habuisse operosè docet, id docet, de quo non est controuersia: illud verò omittit, in quo cardo difficultatis vertitur, num scilicet Cruces illæ ex instituto & compacto ad significandam Crucem Christi, vel aliam diuinâ potentiâ efformatã, effictæ & concinnatę fuerint. Nam & in arboribus progignuntur Cruces à natura; & in ædificiis ab arte; Num ideo Cruces illæ censentur imagines ad reprę̨sentationẽ natæ, vel de industria fabrefactę? Nec quidq̃ Bellarmino hac in re aduersum scripsit Baronius Annali tertio, vt obiicit Iunius, & ante eum Hospinianus. De quo alibi satis.

Tom. 3. lib. 3. cap. 8.

Fatetur Iunius *frequentatum fuisse signum Crucis* (mallem dixisset; Frequentatam fuisse *imaginem* Crucis, nam de signo postea differetur) *adoratum*, hoc est, veneratione affectum, negat. Sed & hic, more suo, negat tantùm, nihil probat.

De lege Theodosij Iunioris, ne crux humi sculperetur, vel pingeretur, fusè disputauimus in Opere de S. Cruce. Ait Iunius: *Legẽ hanc*

Tom.1.lib.2. ca.62. & Tom. 3.lib.3.cap.8. Et in Append. 1.ad eund. librum.

latam per illud tempus, Ethnicorum causâ, ne signum salutare aut suis pedibus calcari insolenter gloriarentur, aut Orthodoxis obiicerent; nec religionis, sed scandali potius gratia legem fuisse latam. Et tamen primis statim verbis testantur ipsimet Imperatores, se hanc legẽ edidisse religionis intuitu. *Cum sit nobis cura diligens in rebus omnibus superni numinis religionẽ tueri,* &c. Deinde tempore Theodosij Iunioris parum Ethnicorum in Prouinciis Christianis supererat, vt necesse non fuerit eorum peculiarẽ habere rationem: quibus de Crucis conculcatione pronum fuisset satisfacere; si Christiani tunc spiritu Caluiniano caluissent; dixissent enim, caussæ nihil esse, cur offenderentur, nam crucem non dehonestari, licet pedibus conculcetur; non enim esse veneratione dignam.

Dicit Bellarminus. Legem hanc ex Crinito corruptè citari ab Hæreticis. *Falsum,* clamat Iunius; *non enim corruptè citatur Crinitus, sed integrè, vt habet.* Lepidè profectò; quasi verò Bellarminus dicat, Crinitum corruptè citari; & non legem Imperatoriam ex Crinito. *At citant aduersarij legem illam, prout exstat apud Crinitum.* Nõ inficior; sed apud Crinitum exstat corrupta & deprauata, omisso illo vocabulo: *Humi.* Cur non citant integram ex vtroq; Codice, Theodosiano & Iustinianeo? Porro legem, quam Crinitus adducit, diuersam esse ab illa, quæ in vtroq; Codice reperitur, vt innuit Iunius; tam manifestè falsum est; vt affirmari nequeat, nisi ab illo, qui sibi quiduis temerè asseuerandi, amplissimam potestatem concessam existimat. Mirum, Plessæo Caluinistæ hanc elabendi rimulam non occurrisse; cum ab illustrissimo & eruditissimo Episcopo Ebroicensi ob legem hanc ex Crinito corruptè citatam, fraudis & imposturæ postularetur.

Vide Append. primam ad lib. 3. de S. Cruce. Tom. 3.

Ait Bellarminus: Theodosiũ Iuniorem auream monetam cum signo Crucis cudi iussisse. Iunius. *An ex eo sequitur? Ergo venerandam aut adorandam.* Omnino sequitur; quia certum est veteres non alio fine monetam signasse cruce, quàm honoris & venerationis, vt Tomo tertio de Cruce copiosè probatum est.

Toto lib. primo. Vide etiam Tom.1.lib.2. cap.56.

Non reticebo hîc, quod Anno Redemptoris M. D. XCVII. Sellię in Hungaria accidit; cum nostri Ordinis homines domum quandã ædificarent. *Contigit vt inter fundamenta ædificij,* inquit ille, qui rem literis prodidit, *quod ædibus adstruebamus, testa cũ nummis argenteis reperiretur, non quidem multis; quos fabri diuiserunt inter se: sed fuit antiquitas pecuniæ notanda, præsertim opportuno tempore reperta. Erat enim Belæ regis, & cruce duplici signata, antiquo Regni Vngariæ insigni. Admirationi fuit, & pudori religionis nouatoribus, vt Catholicis lætitiæ, Crucis signum, in moneta tam antiqua expressum; certum, ac perspicuum antiquæ religionis argumentum.*

Illud Lactantij: *Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora.*

inter-

Interpretatur Caluinista de *Crucifixo*. Sed nil opus tropo; vbi omnia sine tropo pronè fluunt. Et vt crux pro crucifixo interdum vsurpetur; nescio tamen an tolerabilis tropus esset; quo lignum Crucis pro ipso Redemptore crucifixo poneretur. Negat Iunius, *libri quæstionum ad Antiochum Auctorem esse S. Athanasium: sed recentiorem quempiam statuit.* Non repugno; tametsi res non est euidens; nam & vetustiori operi recentiora quædam inseri possunt: illud conuicium est; *responsionem huius Auctoris, verè esse ligneam.* Nam eadem vtitur Damascenus, & alij; & Ioannes Cantacuzenus, qui Crucem, & vniuersim omnes Christi & Sanctorum imagines honorandas esse pulchrè aduersus Mahometanos demonstrat; cuius verba adscribam: quia æquè Hæreticos & Mahometanos percutiunt.

Vide lib. 1. de S. Cruce ca. 57. Damasc. lib. 4. cap. 12. Cantacuz. Apolog. 3. contra Mahomet.

Post alia crimina, quibus à Musselmannis nos, qui Christum profitemur, accusamur, etiam in hoc, ab iisdem condemnamur, quod Sanctorum adoremus imagines. Et, quid adoramus? prorsus non aliud, quàm ligna, colores, & lapides. Quoniam verò omnia, de quibus accusauerunt nos, non intellexerunt, sed iuxta cogitationes cordis sui dixerunt hæc omnia: idem nunc etiam fit, quod ad imagines attinet. Quod si verè veritatis studio teneris, audi quæso. Deus cùm humani ingenij lubricitatem cognitam haberet, præcepit in veteri Testamento, vt sacerdotes miracula ab illo edita describerent, eáque descripta semper à sacerdotum penderent manibus, vt quotidie tam sacerdotes, quàm populus visis miraculis Dei descriptis, quæ per illos contigerant, in memoriam Dei reuocarentur, Deoq; gratiarum actionem, & gloriam redderent, qui illos ex seruitute Pharaonis liberauerat, & deuicerat reges magnos, & fortes, gentesq; robustas: quiq; vrbes illorum populo Iudæorum tradiderat, quin & miracula per illos in deserto edidisset. Et factum est, sicut præcepit illis Dominus. Videntes enim, quæ in sacerdotum manibus suspensa erant, Dei recordati sunt, & illi gratias egerunt. Eadem autem imaginum est ratio. Depingunt Christi natiuitatem, baptismum, crucem, resurrectionem, & visis his turbæ hominum in Dei recordationem perueniunt: & meditari incipiunt, quomodo Christus, cùm Deus esset, propter humani generis amorem carnem assumpserit, & in carne passus sit, quæcunque item alia Deus propter hominem fecerit; hinc illi gratias agunt, eum extollunt, & glorificant.

Quod idem in imagine D. Virginis contingit: quæ, filium, & verbum Dei secundum carnem peperit: tum quoque Martyrum, & Sanctorum omnium. Et honorem imaginibus tribuimus, propter charitatem, & honorem illorum, quibus imagines sunt positæ. Et quemadmodum olim Romæ, & alibi, statuas ponebant vetustorum regum memoriæ, & Imperatorum, statuisq; visis recordabātur egregiorum facinorum, quæ per has suggerebantur, & per imaginum magnificentiam, & honorem, in recordationem fortium gestorum ducebantur, illáque venerabantur, in regum statuis, ita in imaginibus contingit. Hæ enim perducentes animum nostrum

ad ipsa illarum exemplaria, illorum veneramur imagines. Et quemadmodum fieri solet, si regis mandatum perferatur ad aliquem; (si modò moribus institutus fuerit, qui hoc suscipit;) statim assurgit, & non modo amplexatur, sed & capiti illud imponit; nec tamē atramentum, & chartam sic venerari sibi videtur; sed regi istum honorem tribuit. Eadem nobis est imaginum ratio. Quæ enim in columnis, & tabulis prostant, à nobis coluntur; vetustate verò corruptas, & abolitas, non amplius honoramus, sed iudicamus inutiles. Idem quoque de cruce videre licet. Quamdiu enim lignum aliquod Crucis figuram prætulerit, adoratur, & honestè à nobis colitur: Crucis autem figura confracta, vlterius lignum à nobis non adoratur. Hæc Cantacuzenus, in cuius extremis verbis vides, idem ab illo de fracta Cruce asseri, quod ab Auctore quæstionum ad Antiochum.

S.Chrysostomus in supplicationibus argenteas Cruces cum ardentibus facibus præferri iubebat. Iunius, vultu & ore perfricto, de tanto patre: *Imprudens certè per omnia Chrysostomi consilium fuit, quod & Socrates fatetur in historia sua: nec mentem valdè prudentem, nec politicam sapientis.* Cui parcat Caluinista, quando nec à S.Chrysostomo dentes & vngues suos abstinet? Idem iudicium Socratis esse de Chrysostomo, mendacium Iunianum est. Pro Chrysostomo aduersus Iunij calumnias stat tota antiquitatis memoria, quæ factum hoc Chrysostomo semper laudi dedit: nam quòd tumultus exstitit, noñ vitio Chrysostomi, sed seditiosorum Arianorum improbitate exstitit.

Vide lib.2. de Cruce cap.30. Socrat. lib.6. cap.8.

Testatur idem Chrysostomus: suo tempore signum Crucis vbique depingi solitum: *Nempe, vt Christi signum,* inquit Iunius, *iam superstitione publicè inualescente.* Si tam frequens crucis vsus & pictura, fuisset superstitiosa; refutasset eam S. Chrysostomus, omnis superstitionis impugnator inuictus: nec ex illa argumentum pro diuinitate Christi adstruenda, & Ethnicis comprobanda, petiuisset. Fatuum enim fuisset, ex superstitiosa consuetudine diuinitatem Christi demonstrare velle.

Illud D.Augustini in Psal.36. *qui tantum honorem tribuit supplicio suo, quid seruat fidelibus suis?* ait Iunius intelligendum, non de Cruce, sed de morte in Crucis ligno obita. Fumus hic ipsis D.Augustini verbis dispelletur. *Honorata est* (Crux) *& finita est. Finita est in pœna (cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur.) A locis suppliciorū fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid seruat fidelibus suis?* Quis præter Iunium, tam audax, vt neget hęc de ipsa Cruce seu de signo & imagine Crucis asseri? vt & quæ idem S.Pater in Psalm.54. differit.

Attende, inquit, *gloriam Crucis ipsius. Iam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultauerunt.* (Num in fronte Regum mors in Cruce peracta

acta figitur?) *Effectus probauit virtutem. Domuit orbem non ferro, sed ligno: lignum Crucis contumelia dignum visum est inimicis, & ante ipsum lignum stantes, caput agitabant, &c.*

Stolidè negat Caluinista, Crucem, in qua quis figitur, dici posse supplicium. Quid vsitatius, quid omnium loquentium consuetudine tritius, quàm instrumentum, quo quis supplicio afficitur, nominare *supplicium, pœnam, tormentum, cruciatum?* Effectiuè nimirum, quia supplicium, pœnam, cruciatum infert. Nulla est absurditas, quam Iunius defugiat, dummodo ad Crucis gloriam obseruandam aliquid momenti adferre videatur.

Ad testimonium D. Cyrilli respondet Iunius, *eum nihil dicere de Crucis adoratione*, hoc est, veneratione, imò ait, *tantum abesse, vt Cyrillus crucem à Christianis coli concedat*, vt dicat: *qui ista sic se habere suspicatur, eum à maligno aduersarioq́; Dei spiritu arreptum esse.* Sed Caluinista solenne suum tenet. Calumniatur & mentitur audacissimè. Nam prædicta verba protulit S. Cyrillus de Iuliano, & omni illo, qui cum Iuliano Christianos ob Crucis cultum & venerationem *miseros* existimabat, & *miseros* appellitabat; non autem de illis, qui à Christianis Crucem coli dicerent.

Occurrit Iunius: *Cruces & imagines, non cultus, sed recordationis tantummodo caussa habitas, idq́; liquere ex ipso Cyrillo.* Dicit quidem Cyrillus imagines haberi recordationis caussa; sed apud eum non comparet particula *exclusiua*; quæ nulla alia de caussa cruces & imagines Christianis in vsu fuisse indicet. Sed de hoc S. Cyrilli testimonio latissimè disputauimus in Appendice secunda, ad librum tertium tomi tertij de S. Cruce. *Cap. 4.*

Cruces loco thoracum Serapidis in Aegypto fuisse depictas, Auctor est Ruffinus. *Nempe, vt professionis signa*, inquit Iunius, *non adorationis obiecta*, imò *& adorationis*, hoc est, cultus & venerationis, velis nolis, Hæretice: eo enim consilio in vicem horum thoracum substituerunt Crucis imagines, vt venerationem impiè prius Serapidi delatam, ad Crucis effigiem religiosè transferrent.

Testimonium S. Gregorij à Bellarmino allatum, sic refellit Iunius. *Superstitionem temporis laudare non possumus.* Quis postulat, vt temporis superstitionem laudes? Proba prius veneratione͂ Crucis, quam S. Gregorius commendat, esse superstitiosam, & tum æquo feremus animo, vt tibi à laudatione temperes.

S. Leo, *loquitur*, iudicio Iunij, *de Christo moriente in Cruce, non de imagine aut Christi, aut Crucis.* Differit eo loco S. Leo ex instituto de Christo crucem suam ad locum crucifixionis baiulante: de quo dicit, eum, egre-

egredientem ad supplicium, pulchra specie, *triumphi sui portasse trophæum.* (Num Christus in exitu ad Caluariæ montem portabat *seipsum morientem in Cruce?* quandoquidem, per triumphi trophæum à Christo portatum intelligitur *Christus in Cruce moriens:* si nō delirat Iunius) *& inuictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus intulisset tanquam & tunc*, inquit S. Leo, *operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, & diceret: Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quid humeris efferebat Christus? Num seipsum in Cruce morientem, an Crucem, in qua moriturus erat? Et tamen duro vultu affirmare audet Nouator; hoc suum somnium *ex argumento Leonis & verbis ipsis confirmari euidentissimè.*

Eadem sinceritate & peritia tractat Iunius Sedulij carmina. Ait, *accipienda de Christo, & prima Cruce.* Ergo prima Crux, ex sententia Sedulij, venerabilis est. Cur igitur hoc iam antea Iunius toties inficiari non erubuit? Si prima Crux in se est venerabilis, ergo etiam in quacunque sua imagine venerabilis erit. Si prima Crux venerabilis est, quia Christum peculiari modo repræsentat; venerabiles ergo erunt, & aliæ Cruces ad hoc speciatim factæ, vt Christum crucifixum nobis ob oculos ponant.

Quod garrit de Christo crucifixo, prorsus inscitum est. Percurramus dicta Sedulij: *Pœnam vestiuit honore.* Sensus est, Iunio explanatore, pœnam, id est, *seipsum*, vestiuit Christus honore. Num pœna honore vestita significat Christum? *Suppliciumq; dedit signum magis esse salutis.* Quod nam est hoc supplicium, quod signum salutis esse voluit, nisi Crux? At ex Iunij interpretatione, *supplicium*, hoc est, seipsum, *dedit signum magis esse salutis. Tormenta beauit* Christus Iunius. Tormenta, id est, *seipsum*, beauit. *Néue quis ignoret speciem Crucis esse colendam, quæ Dominum portauit ouans, &c.* Quid clarius, quàm hæc dici de Cruce, in qua Christus mortuus est? Infundit tamen Iunius tenebras: & ait, *omnia hæc accipienda de Christo in Cruce passo.* Sensus ergo iste erit: Néue quis ignoret *speciem Crucis*, hoc est, *Christum in Cruce passum esse colendum.* Quis vnquam antehac audiuit? Speciem Crucis, significare Christum in Cruce passum; & quidem illam Crucis speciem, *quæ Dominum portauit ouans?* Num Christus portauit Christum *crucifixum* & passum? Quæso, quis tulit Christum in Cruce? Crux, an Christus crucifixus? Aequè dilucidè loquitur Sedulius de veneratione Crucis, in eo opusculo, quod soluta oratione conscripsit.

Vide lib. 3. de Cruce cap. 3.

CAPVT

CAPUT VIII.

Defensio quarti & quinti argumenti Bellarminiani pro cultu imaginum Crucis.

QUARTUM argumentum petit Bellarminus ab apparitione & miraculis Crucis. De apparitionum & miraculorum veritate *non vult* Iunius *digladiari*; negat, *à Bellarmino aptum hinc argumentum necti.* At cur hoc non aptum argumentum? Crux miraculosè crebrò apparuit; Cruce itidem plurima & testatissima miracula sunt patrata: ergo Crux est venerabilis. Quid, inquam, vitij in hac collectione?

Sed en tartareum Iunij artificium. Illud cœleste monitum, Constantino datum, *in hoc vince*; ita eludit. *In hoc*, id est, in crucifixo Christo, *vince. quem crux illa flammea ostendebat.* Nil vanius, & à vero alienius. Quia in illo iussus est vincere, & suos hostes debellare Constantinus, quod postea efformandum & stabili effigie repræsentandum curauit: At hoc crux fuit; seu vexillum crucigerum: de Crucis igitur tropheo illud: *In hoc*: accipiendum est.

Vide lib. 1. de S. Cruce c. 36. 37.

Et tamen dicere non veretur, deliramentum suum tradi ab Eusebio lib. 1. de vita Constantini cap. 28. & 29. vbi nec vola nec vestigium huius commenti apparet. Cap. 22. edit. Christophorsonianę commemorat visionem crucis Constantino ante prælium cum Maxentio initum oblatam. Capite 23. refert dormienti Constantino apparuisse Christum, cum signo in cœlo monstrato, præcepisseque, vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo, tanquam præsidio, in præliis cum hostibus committendis vteretur. Aliquot sequentibus capitibus docet, quomodo Constantinus huic diuino mandato morem gesserit. Quid hæc ad inauditum figmentum Iunij? qui Sozomenum & Paulum Diaconum à Bellarmino *flagellari* dicit. Qua de caussa? Quia Bellarminus non probat Sozomenum & Diaconum asserentes; Crucis visum dormienti duntaxat Constantino oblatum. En modestè dissentire ab Auctoribus est Auctores *flagellare*. Et Iunius, quando grauissimis calumniis tertio quoque verbo, præsertim in hac Crucis materia, Patres insectatur, nihil in Patres contumeliosum proferre censendus est.

Obstrepit Iunius. *Si de ipso Crucis signo placebit accipere* (illud; In hoc vince) *id cogitandum fuit, rem fuisse extraordinariam pro ratione temporis illius, bellorumq; aduersus Ethnicos à Deo subministratam, quam in exemplum trahi, & ordinarium fieri, iniquum est.* Extraordinariè hoc propulsandorum hostium adminiculum Constantino diuinitus suppeditatum esse, non

diffitemur. Hoc tamen extraordinarium subsidium non vetuit Deus vertere in ordinarium, prout factum à Constantino, & à successoribus Constantini; qui Cruce aduersus hostes vsi, splẽdidissimas victorias frequenter reportarunt, vt copiosè explicatum est lib. 2. de sancta Cruce. Si Deus tunc voluit Crucis gloriam apud Ethnicos illustrari, quando eam tot decorauit miraculis, credibile est, eum velle, vt & hodie, quibus fieri potest modis, Crux celebretur & illustretur, cum non habeat mitiores hostes Hæreticos, quàm olim Ethnicos.

Nunc Caluinista impingit ipsi Constantino alapam, *malè eum fecisse, qui rem singulariter ad illud bellum præscriptam, ad omnia tempora promiscuè transtulerit sine singulari mandato.* Vnde probat Iunius illud, *In hoc vince:* tantummodo pertinuisse ad bellum gerendum cum Maxentio? non ad omnia, quæ Cõstãtinus eiusq; successores gesturi erant? Certè euentus aliud docuit; Nam hoc signo nõ tantum Maxentium, sed & alios Tyrannos, & vniuersos hostes suos felicissimè profligauit. Quis vnquam Constantino crimini dedit, quod cœlestem hanc armaturam sibi diuinitus monstratam, postea nunquam deserere, & ad posteros transmittere voluit? Eusebius, Constantino perquam familiaris, qui hæc omnia in literas retulit, nullam hîc superstitionem deprehendit, quam tamen Iunius; adeo sagax est; post mille trecentos annos tam solerter indagauit, & in publicum extraxit: *nam quod postea* (vsus Crucis in bello) *in legem quandam religiosam abiit, ineptæ superstitionis est:* inquit Iunius. Iure tamen miretur quis, quomodo Deus hanc *ineptam superstitionem* tot miraculis exornarit; neminemque vnquam ex tot sanctissimorum virorum numero excitarit, qui huic *ineptæ superstitioni* obuiam iret. Incredibile prorsus est, neminem proditurum fuisse, qui ab hac *inepta superstitione* Imperatores & milites dehortaretur; si fuisset *inepta superstitio.*

S. Chrys. homil. Quod Christus sit Deus.

Crucis gloriam inde etiam decantat S. Chrysostomus, quod vbique visatur & fulgeat, *in bellis quoque & armis.* Qua ratione hinc laudandæ Crucis occasionem sumpsisset, si mos ille *ineptæ superstitioni* adscribendus fuisset?

Ordinarium ab extraordinario, vniuersale à particulari non potest sequi, inquit Iunius. Respondeo, Bellarminum & hac Constantino oblata, & aliis Crucis apparitionibus, nihil aliud efficere velle, quàm Crucem cultu & veneratione esse dignam. Quod non tantùm ex ordinariis, sed & ex extraordinariis rebus, quæ circa Crucem contigerunt, rectè demonstratur.

Si dicas: *Crucis armatura extraordinariè præscripta est Constantino ad bellum feliciter cum Maxentio conficiendum; ergo non licuit postea eâdem armaturâ*

in

In aliis bellis ordinariè vti; & ex particulari facto generalem morem introducere. Respondeo, Antecedens esse falsum, si intelligatur, vt à Caluinista intelligitur, Crucis armaturam Constantino ad solum Maxentianum bellum fuisse præscriptam, exclusis aliis; nam ne minimum quidem huius exclusionis indicium ex tota antiquitatis memoria Caluinianus iste proferet. Si quod alicui pharmacum pro morbo particulari depellendo extraordinariè diuinitus monstraretur; an postea ordinariè idem medicamentum eiusdem generis morbo abigendo adhibere nefas esset, præsertim si constaret, medicamentum hoc ordinaria vi pellendi morbum pollere? An & hic vociferaretur Iunius? *Vniuersale à particulari non potest sequi.* Quidquid sit de consequentiis Dialecticis, in quibus vitiosè ex particulari enunciatione vniuersalis conclusio colligitur; in nostro certè proposito ex facto particulari consuetudo vniuersalis nasci potest. Nam qui semel manifestè expertus est Cruce profligari dæmones; cur secunda, cur tertia, cur quarta vice, cur deinceps non vteretur tam ipse, quàm alij eodem aduersus salutis nostræ inimicos clypeo? Semel expertus fuerat Constantinus Crucis virtutem; superato & prostrato Maxentiano exercitu: Cur idem secundò, tertiò, quartò, & sic deinceps, non potuisset denuò experiri; & ex crebris particularibus experimentis vniuersim statuere; *Crucem* hostibus debellandis mirifica virtute præditam esse?

Ait Bellarminus: non frustra dictum esse Constantino; *In hoc vince.* Id apparere ex victoriis Constantini. nam Eusebium lib. 2. de vita Constantini scribere, in prœliis iussisse Constantinum semper deferri Labarum Cruce insignitum ad eam partem agminis, quæ magis laborabat: & quocunque Labarum accessisset, mox etiam secutam victoriam. Hîc Iunius omnes suos cauillandi & eludendi neruos intendit; vt duci suo, cui militat, gratum faciat, Crucisque gloriam obscuret. *Hem probationem grandem,* inquit Iunius. (Grandior profectò est, quàm vt eam angustiæ Caluiniani pectoris tui capiant. Quis enim non videt, Crucem cultu dignam esse, per quam Deus tot miracula, in exercitu Constantini patrauit?) *Vt Aquila signum fuit Imperatorium, & principale exercitus, dum stetit Respublica, ita succedentibus Imperatoribus fuit primùm quidem ex Persarum vsu Cantabrum: postea verò Labarum, quò Christiani ab Ethnicis distinguerentur inde à Constantini seculo.* (supponit Caluinista *Labari* vocem & rem non fuisse ante Constantinum, de quo disputatum est in Opere de Cruce; nec verum est, *Labarum ideo solummodo fabrefactum, & exercitui prælatum, vt Christiani ab Ethnicis distinguerentur*; sed vt hac cœlesti armatura instructi vim & robur contra hostiles copias diuinitus obtinerent.) *Quis autem nescit Imperatoria signa, id est, aquilas, cantabra,*

Lib 2 cap. 39.

tabra & Labara fortissimis quibusq; militibus fuisse cincta in omni tempore, & bonos Imperatores ad nutantem partem exercitus cum suo comitatu & signo aduolare solitos? Victor fuit in prælijs Constantinus. Quomodo autem? Labarum in laborantes copias importando. (sed Labarum crucigerum, Labarum imagine Crucis, & nomine Christi rutilans) *id est, cum signo* (sed crucigero) *& milite suo sub signis* (sed crucigeris) *pugnante suppetias ferendo laborantibus* (sed inuictas suppetias, idque vi & efficacitate S. Crucis) *signi autem huius* (in specie Crucis conformati) *Constantinus Christum habuit ducem* (& Christi crucem) *administrum; militem. Non sibi ergo Constantinus victoriam tribuit,* (quis huius culpę accusat Constantinum?) *sed signo suo,* id est, *duci & militi.* (imò, velis nolis, etiam Cruci: quod testatum fecit hac inscriptione ad statuam suam crucigeram addita post debellatum Maxentium: *Hoc salutari signo, verè fortitudinis indicio, ciuitatem vestram tyrannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui) faciens. si ad Christum respexeris, religiosè: si ad milites, prudenter: si ad seipsum, modestè.* (Quid si ad Crucem? Cur omittis hoc membrum? Cur contra apertissimam historiæ fidem, Cruci gloriam tot partarum victoriarum ereptum nefariè tendis; nihil veritus piorum iudicia; nihil eruditorum censuras; qui tę manifestæ amentiæ condemnabunt, ob has tuas tam ineptas cauillationes Eusebianæ narrationi ex diametro oppositas?

Euseb. lib. 1. de Vita Constant. c. 34. Vide lib. 2. de Cruce c. 41.

Nec *laudem prudentiæ* adimit Bellarminus Constantino, vt mentitur Caluinista; quia summæ prudentiæ fuit, non suis militúmue, quamuis selectissimorum viribus, sed crucis & crucifixi præsidio fidere.

Vide lib. 2. de Cruce cap. 49.

Simili prorsus fraude & impostura, hoc est, longè ineptissima, eludere conatur Caluinista insigne illud miraculum, quod circa quendam accidit, qui timore perculsus Labarum deseruerat, & alteri gestandum tradiderat. Iunius hic nihil supra naturam agnoscit: *Quæ strages,* inquit, *edi solet, si quando hostis ad Labarum & principale signum peruenerit? Hic pugnatur, si vsquam, pertinacissimè, certat vtrinque peruicacia. Qui Labarum abiecerat, occubuit. Quid ni? Nam in illa fortium acie, non est ausus consistere; extra illam non potuit resistere; qui verò Labarum suscepit, in acie fortiter fecit, fortiter defensus est, & præpositi Labarorum & totius comitatus fide.* Nugæ, fabulę, vel potius fumi & nebulæ, quas nobis tam confidenter Iunius venditat, quasi omnia coram intuitus fuisset: ipseque longè melius quid acciderit, nouisset, quàm Eusebius, qui totam rei seriem ex ipsius Constantini relatione acceperat. Eusebius vocat *miraculum.* Et verè miraculum erat; meticulosum illũ, deserto Labaro, extra aciem, telo confodi, eum autem, qui Labarum ferendum susceperat, in densissimo

fissimo telorum nimbo, intactum permanere; ita vt tela in Labaro fixa hærerent, nullum autem eorum qui circa Labarum rem gerebant, læderet.

Cauillationibus suis iungit Iunius criminationes, vt si forsan illæ sint minus validæ; hæ rem conficiant. *Hic*, inquit, *rei militaris vsus certissimus, sed Iesuitico stylo incognitus, confodiendis Regibus, non committendis pugnis instituto*: Quid alibi in militia fieri soleat; hic non quæritur; sed illud, quod in bello Constantini auspiciis gesto, factum fuerit. Hoc autem factum esse, quod Iunius memorat, non illud, quod ab Eusebio litteris est proditum; cui fidem Iunius faciet? Nam quòd dicit: *Eusebium, virum non acri iudicio, malè exposuisse, religiosè & grauiter à Constantino dicta*, vnde compertum Iunio? Num audiuit Constantinum isthæc narrantem, vt tam certò asseuerare possit, Eusebium Constantini relationem non fideliter litteris consignasse, & Constantinum non hoc, quod Eusebius, sed hoc, quod ipse refert; recensuisse? Bone Deus, quæ hæc est impudentia? Detrahere Auctori tam vetusto fidem, eamque sibi arrogare, idque sine vllius alterius fide digni testimonio; solo in Crucem odio, & auitæ religionis detestatione?

De hac, & aliis Crucis apparitionibus fusè actum est Tom. 1. de S. Cruce, toto libro tertio.

Ex apparitione Crucis Hierosolymæ, tempore Constantij Imperatoris, negat Iunius sequi, *Crucem esse adorandã*, hoc est, venerandam; *Nam & capras & trabes apparere*. Sed naturaliter, sine vllo miraculo. Nũ huius sortis apparitio illa Crucis? Quid sobrij capitis homo in hac consequentia desideret? Crux admirabili prorsus modo diuinitus efformata, Hierosolymis tempore Cyrilli Episcopi & Constantij Imp. apparuit, ergo Crux est venerabilis; præsertim si hoc argumentum non spectetur solitariè, sed coniunctim cum cæteris.

Apparitiones Crucis sub Iuliano Apostata, & alias à Bellarmino citatas, ait Iunius *fuisse extraordinarias & particulares illorum temporũ*. Mirum, ni Iunius à Bellarmino *vniuersalem* tandem Crucis apparitionẽ postulet. Placet tamen, quod addit, *his apparitionibus, tanquam diuinis testimoniis, debuisse religionem Christianam ab Ethnicorum impietate olim vindicari*. Quid ni hodie iisdem testimoniis vindicaremus Christianæ religionis maiestatem & Crucis honorem ab Hæretica, & nominatim à Caluinistica impietate?

Historiam Pauli Diaconi nominat Iunius, honoris caussa *fabulosorum miraculorum centonem*. Nec admittit illam apparitionem, quam ex Alano Copo indicauit Bellarminus. Miratur, cur eius non meminerit Surius. Si meminisset, *fabulatorem* appellitasset.

Tandem à præstigiis opem caussæ suæ quærit. Subibat me admiratio, cur ad hoc præsidium non pridẽ confugerit; more aliorum se-

sectariorum, qui hæc talia audacter pręstigiis, siue humanis, siue Diabolicis adscribunt. Si citius huc se Iunius recepisset, non in tot salebris tam implicatè & intricatè hactenus hæsisset. Est enim hoc ad præstigias diuerticulum expeditissima ratio expediendi se ab omnium difficultatum, vt ille ait, *occursaculis*.

Nequeo mihi hic temperare, quo minus Caluinistas oblectem narratione cuiusdam apparitionis, quæ simillima est eius, quam ex Alano Copo Bellarminus attulit. Accidit in Iaponia Anno Christi 1592. Exstat in secundo Tomo recentiorum Epistolarum Indicarum, quas Antuerpia nobis excusas dedit anno MDC.V. Attendite, Caluinistæ, vel si tædet attendere, aures oppiláte.

Fol. 180. Est Epist. Ludouicus Froes.

Aliud solatium Deus attulit nobis, nouo quodam prodigio, vel potius miraculo S. Crucis recens in ditione D. Sancij Omurandoni patefacto, ea forma, & modo, quo apparuere ante biennium in ditione Arimensi, non sine stupore omnium. Idq; eo maius est, quod quo tempore Quabacondonus in hoc Scimo erat venturus, & nos omnes cum populo Christiano in summo luctu, ob sublatas Cruces, & primarias domos à patribus desertas, eramus; hoc miraculum in apertam lucem cum immenso nostro gaudio, omniumq; Christianorum in sua fide eximia confirmatione, productum fuerit. Septimo igitur Februarij huius anni 1592. die Veneris, in opidulo dicto Fucundo, tribus passuum millibus hinc disiuncto, Christianus quidam Ecclesia vicinus, nomine Matthias, mandauit filio suo Simoni, vt arborem quandā aliòqui fructiferam, quòd toto biennio nullus fructus reddidisset, & exarescere cœpisset, amputaret. Nomen arbori est chachinochi, quæ producere solet fructus rotundos non absimiles pomis, qui instar nostrarum ficuum in totum annum sicci conseruantur, suntq; excellentes, & communes, eduntur q; virides, maturi, & aridi. Cùm ergò dictus Simon hanc arborem in diuersas partes, ad conficienda ligna secaret, diffissus est arboris truncus, & ex vtraq; ligni parte, prorsus vt contigit in prouincia Arimensi, quatuor Cruces patefactæ sunt; binæ seorsim, vna alteri, maior minori incumbens cum suis brachiis, titulo, & pedibus, affabrè factæ, & coloris atri, cum tamen lignum arboris esset valde candidum.

Inuentum hoc non fuisse humanum ab omnibus agnitum est, tum propter coniunctionem vtriusque partis ligni, quando coagmentantur; tùm, quia ater color aliud lignum penetrauit ad craßitudinem vnius Realis. Mox vbi prodigium hoc apparuit, accurrerunt multi Christiani, & certiorem P. Visitatorem, qui animarum illius ditionis curam gerebat, reddidere. Is patrem alium eò amandauit, qui facta diligenti inquisitione, deprehendit rem ita se habere, vt rumore ferebatur.

Cumq; Christiani omnes maiorem in modum cuperent venerari dictas Cruces, & festiuo ritu adorare; visum est Patri, ad cauendos rumores, & concursationem populi, in loco decenti Cruces esse recondendas, tantumq; ostendendas Lusitanis,

nis, & D. Sancio Omurandono, qui ad eam adorandam cum multis suis equitibus venerat, qui incredibili lætitia animi gestierunt in earum aspectu, dicentes; Dominum Deum sanctis istis crucibus, nouum planè sibi indidisse animum, & in primis, quod placuisset ei, non minus honorare sua ditionis Christianos, quàm ante annos duos in regno Arimensi, simili apparitione honorasset. Reposita sunt ambæ partes, vti inuenta sunt, in thecam reliquiariam, donec, adiuuante diuina gratia, tum hæ, tum illæ Cruces Arimenses congruenti solennitate honorentur, & celebrentur. Similiter omnes Christiani, per Iaponiam dispersi, ex hoc prodigio & mirum in modum animantur, & planè coniecturam faciunt, & firmam fiduciam concipiunt, cùm Deus hoc ipso tempore Quabacondoniana persecutionis illas S S. Cruces patefecerit, fore, vt eò magis exaltetur crux Christi, & per totam Iaponiam colatur; ac in primis, vt ditiones illæ, in quibus repertæ sunt, Arimensis, & Omurana, etiamsi nunc maximè obnoxiæ sint periculo persecutionis, beneficio Crucis sarta tecta conseruentur. Vnde ex toto harum literarum decursu liquet, nouellam hanc Ecclesiam similem fuisse his annis naui magnis tempestatibus agitatæ, quæ nunc secundum proram ita in vndas demergitur, atq; si à fluctibus absorbeatur: nunc rursum celsis supereminet vndis, atq; ita iter S. Crucis, quam per Iaponiam prædicamus, prosequimur. Harum sanctarum Crucum effigiem ad paternitatem vestram mittimus. Et quamuis in diuisione ligni particula brachij vnius Crucis diuulsa effecerit, vt proportionem suam non seruarint, tamen adhibita diligentia inuenta tandem est in manibus cuiusdam Christiani, qui eam, cum omnes reliquias arboris in terra relictas colligerent, sustulerat; quam cum Patri, suo loco, restitui iussisset, euasit crux cum suo brachio bella, & perfecta. Hæc ex litteris Iaponicis.

Miracula per Crucis imaginem facta adscribit Iunius primò cõmentis; eam duntaxat ob caussam, quia Crucem odit; & quod factum nollet, factum strenuè abnuit.

Secundò respondet; *hæc miracula facta extra ordinem.* Quid tum? omnia miracula fiunt extra & supra cõmunem rerum ordinem, alioqui non essent propriè dicta miracula. Etiam excitatio Lazari fuit *extraordinaria.* An ideo minus fidei meretur?

Particularia sunt, inquit Iunius, *quo iure fiant communia aut vniuersalia?* Perinde ac si diceret: Particulare est, quod Medicus hunc vel illum morbum curat: quo iure ergo asseras, artem medicam, quantũ est ex se, vniuersim posse eundem vel similes morbos curare? Particulare factum fuit, quòd Christus Lazarum suscitauit, & cœco à natiuitate visum restituit. Quo iure ergo dicas? Christum vniuersim potuisse mortuis vitã, & cœcis lumen reddere. Negat Iunius valere hanc consequentiam. Crucis imagine multa patrantur, & patrata sunt olim miracula, ergo crucis imago est venerabilis. Sed non negaret si ex-

De miraculis per Crucem patratis vide lib. 2. de Cruce cap. 63. & seqq.

si excellentiam, fundamentum & caussam honoris esse nosset. An nō autem excellentia, & quidem grandis, quòd Deus eo dignitatis Crucem prouexit, vt per eam res supra naturæ vires efficiantur? Sed quia exploratum habeo Caluinistas mirificam voluptatem capere ex recensione miraculorum quæ per Crucem eduntur, non grauabor in eorum gratiam aliqua recitare, vt pleniore & solidiore gaudio perfundantur, & primum quidem ex Petro Damiano, ad cuius vel solum nomen omnes Hæretici lætitiis cumulati incedunt. Ita ergo Damianus. *Vir quidam potentiorem se hominem interfecit, à cuius etiam filio, more seculi, non legibus Euangelij, multas bellorum molestias pertulit: paterni scilicet vltor interitus, & strages anhelabat hominum, & frequentium reportabat manubias rapinarum. Inter has igitur homicida deprehensus angustias, imperiale decreuit adire fastigium, si quod fortè tot calamitatibus posset reperire solatium. Quo comperto, paterni sanguinis vltor insequitur, eumq́, siue vt tribunalium lege constringat; siue, vt repente gladiis opprimat, impiger comitatur.*

D.amian. lib. 4. epist. 17.

In Teutonicis verò partibus tunc Imperator agebat. Cùm itaq́, præcedens, modestè quasi securus incederet, subsequens autem celerius properaret, tandem contigit, vt sibimet inuicem propinquantes, in mutuos vterq́, duceretur aspectus. Sed cùm is, qui homicidij reus erat, vix quatuor, vel quinq́, comitū fulciretur auxilio; interfecti verò filius triginta fermè cingeretur obsequiis armatorum, quaternionem suum cohortatur, vt fugiat. Ille, se conspiciens de persequentium manibus auolare non posse, animæ patrocinium petiit, ad humilitatis vmbraculum confugium fecit. Proiectis igitur armis, brachiis etiam in modum crucis extensis, solo prosternitur, & vel miserentium veniam, vel ictus ferientium præstolatur. At ille iam victor ad reuerentiam Crucis manum reprimendo compescuit; vltrò etiam, ne ab aliquo feriretur, inhibuit: postremò, pacem integram faciens, ad honorem sanctæ viuificæ Crucis non modò vitam, sed & paternæ necis donauit offensam.

Hac igitur insigni peracta victoria, quâ scilicet non tam alterius, quàm sui; &, vt ita fatear, non tam hostis, quàm proprij cordis victor exstiterat; ad Regis curiam, quia non procul erat, accessit: sed mox, vt Ecclesiam oraturus ingreditur, res mira, nimiumque stupenda; Saluatoris imago, quæ in Cruce videbatur expressa, tribus eum vicibus, inclinato capite, visa est salutare. O quàm gloriosum, & insigne præconium, vt ab auctore misericordiæ mereretur reuerenter accipi, qui propter eius reuerentiam omiserat vindicari: & ab eo reciperet salutationis honorem, pro quo saluti contrariam postposuit vltionem. Quod protinus Imperator audiens, honorifica eum, & affectuosa, prout decebat, affabilitate suscepit. & copiosa munerum liberalitate ditauit. O si vir ille sacerdotalis Ordinis officio fungeretur, quàm confidenter ad offerendum Deo munus potuisset accedere. Quò contra, quisquis in corde iræ, vel odij confusiones agglomerat, & tempus vltoriæ

toria retributionis exspectat, quàm perniciosè, quam noxiè sacris altaribus appropinquat. Hominibus quippe vertitur in incendium, quod ad refrigerij promissum est augmentum.

Simile miraculum recitauimus in Paralipomenis ad secundum librum de Cruce, ex Matthæo Parisio.

Tom. primo tertia editionis.

Nunc audiamus aliud Crucis miraculum ex Epistola Iaponica P. Alexandri Valignani Anno 1599. data. *Cum eo, quo diximus modo, insanirent Iaponij in noui sui Cami cultu: Christo Domino placuit, ipsorum stultitiæ nouum opponere signum, quo magis suæ fœditatis idololatras puderet. Giatensciri (locus est in ea Regni Fingi ora, quam habet Augustinus Trunocamindonus, in quo supra diximus, multos baptismo initiatos) Crux in cœmeterio à Christianis fixa, ad quam ipsi orandi causa conuenire solent, puerulo inter orandum est splendere visa: à quo cùm alij, qui vnà orabant, hac de re monerentur, & ipsis variæ res circa Crucem apparebant. Cuius rei fama postquam Giatensciirum, & vicina loca peragrasset, mirum est, quanta mortalium vis eò confluxerit, vt rem tam insolitam oculis viderent suis. Ex vrbe Arima non pauci, cùm nobiles, tum plebeij, ad idem spectaculum accurrerunt. Multi cum primùm ad locum accederent, vnicam cernebant crucem; postquam verò paululum temporis orationi tribuissent, multæ antè, & ponè, à dextris, & sinistris ipsius Crucis, quæ stabilis, & fixa permanet, videndæ offerebantur, idq; non modò interdiu, sed & nocturno tempore, ita tamen, vt nonnunquam Cruces omnes viderentur magnitudine inter se pares; & aliquando aliæ aliis longiores. Ostenti huius causam nouit Deus, effecta verò Iaponiis perspecta sunt satis: quorum plurimi, rei nouitate moti, de anteacta vita peccatis vehementer dolent, doloremq; suum vberrimis testantur lachrymis, ac, post erratorum suorum Pœnitentiæ Sacramento expiationem, de vita in posterum emendanda seriò laborant. Ex Gentilibus item non pauci qui rei huius admirandæ spectatores fuerunt, ad Christianam religionem animum appulerunt.*

Addamus & hoc perquam illustre Crucis miraculum, proditum à Roberto in Appendice ad Sigebertum, Anno MCXXCI. *Mater Soldani de Iconio veniens, ad extrema reuelauit filio suo, quod semper celauerat, quod scilicet esset Christiana, & rogauit eum, vt crederet in Christum, qui est Dominus & rex omnium sæculorum, & quod amaret Christianos. Quod ipse spopondit se facturum: sed dixit, quod ipse non auderet apertè credere in Saluatorem propter Paganos. Dixit ei mater sua: Fili cum mortua fuero, fac mihi excelsam sepulturam, & pulchrum, sicut pyramidem, pone super eam signum Crucis Christi. Cui ille, de luce se hoc facere non posse respondit: Tu fac (inquit mater eius) de nocte. quod & factum est. In crastino autem, cum Agareni vidissent signum illud, indignati sunt contra Principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipsis subleuatus super machinas, conabatur eam*

deponere Crucem. Qui voluntate Dei corruit & mortuus est. Similiter & alius interemptus est alia vice. Tertia die cum conuenissent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud: venerunt fulgura & coruscationes, & illo primitus perempto, qui aduersabatur, multa millia perierunt igne diuino. Tunc apparuit Angelus Domini & clarissimum signum Crucis posuit super pyramidem illam. Ex quo multi crediderunt in Christum, & adhuc Crucem illam venerantur & adorant. Hæc Robertus continuator Sigeberti.

Vltimum Bellarmini argumentum est à ratione: quia Crux gerit imaginem Christi Crucifixi, id est, Christi in ipso opere redemptionis nostræ occupati: ergo est venerabilis. Respondet Iunius. *Crucem propriè solum esse imaginem Crucis, non eius, qui suffigitur.* Cur non & huius, præsertim si ad hunc repræsentandum erigatur & peculiariter instituatur, si item Crucifixi imago Cruci superaddatur, vt plerunque fieri solet? Tametsi & absque huiusmodi effigie Crux satis hominem in Cruce extensum refert.

Ait Iunius. *Christum in mente nostra pingi voluisse, non in materia.* Cur non in hac, & in illa? Cur non vtrobique? An prior pictura impedit posteriorem, vel hæc illam?

Hactenus de imagine sanctæ Crucis. *Quæ*, vt inquit S. Chrysostomus, *non solùm non fugitur, sed & desideratur, & adamatur, & omnes de ea solliciti sunt, & vbique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur, & quæ non habitantur.* Quid diceret Chrysostomus, si hodie Caluinianam vrbem ingressus, nullam penitus in ea Crucem reperiret?

Tametsi autem Crux vbique fulgeret, in templis tamen intra & extra maximè enitescebat: imò & in fundamentis templorum & Monasteriorum iaciendis, neque enim vllus templi vel Monasterij exstructionem aggrediebatur, nisi prius fixa Cruce ab Episcopo vel Patriarcha in ipso ædificij loco. Hinc Stauropegia, de quibus copiosè in Opere de Cruce, quibus nunc adiicio sequentia.

Vide lib. 2. de Cruce cap. 7. & 8.

Libro tertio Iuris Græco-Romani exstat responsum Patriarchæ Constantinopolitani Germani, (Scholiastes eum esse vult, qui prius Adrianopolitanus Antistes fuit, & cuius nomen penultimo loco ponitur in catalogo Patriarcharum Constantinopol. libr. 4. Iuris Græc.) ad querimoniam Ioannis Episcopi Artæ, contra Ioannem Metropolitanum Naupacti, qui falcem suam in Præsulis Artæ messem immittere ausus, in nonnullis Artæ Monasteriis Stau-

ropegia

ropegia fixerat, eo prætextu, quod S. Demetrij Monasterium in Diœcesi Artæ situm à loci Episcopo dicatur exstructum sub Stauropegio eius, qui tunc erat Metropolitanus Naupacti.

Postea recitatur epistola Metropolitani Naupacti ad Antistitem Artæ in qua dicit, Artæ Præsulem sæpe sibi fuisse molestum propter Catzuræ Monasteriũ, quod est Artæ, vt conditum *ἐπὶ σαυροπηγίῳ ἐμῷ*, *Cruce à me*, vel *meo iussu & nutu fixa*. Acquirebant enim per illa *Stauropegia* ius in templa & Monasteria, quamuis in aliena Diœcesi locata: omniaque arbitratu suo ibi agebant, & administrabant; vt patet maximè exemplo eius, qui Metropolitano Naupacti successerat, qui inter cætera eousque processit, vt Ecclesiastica Stauropegia deiecerit ex quibusdam Monasteriis Episcopi Artæ, *καὶ ἐνέπηξε τὰ οἰκεῖα σαυροπήγια*, *Erexitque sua Stauropegia*, & ea per *pittacia* seu *Breuia*, seu *Bullas* nonnullis oratoria exædificare volentibus concessit.

Postea caussa adiudicatur Episcopo Artæ, mandaturque, vt Metropolitanus Naupacti desistat, *διὰ τὸ προνόμιον τῶν παρ' ἐνορίαν σαυροπηγίων μόνῃ τῇ πατριαρχικῇ ἀφιῶσθαι μεγαλειότητι*, *quòd Stauropegiorum*, seu, *ius Crucium figendarum* (Interpres ineptè, *Crucifixionum*) *quæ sunt per Diœcesin, soli Patriarchali amplitudini concessum sit; Metropolitanorum autem nemini.*

Subditur. *σαυροπήγια δὲ τὰ μὲν ἐκβληθέντα ἀπὸ τῶν μοναστηρίων αὖθις ἐν αὐτοῖς ἀποκαταστήσονται*, *Stauropegia ex Monasteriis exturbata restituantur.*

Deinceps alio decreto eximuntur à iurisdictione Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum omnia loca, in quibus Stauropegia fixa: omnes item personæ eorundem locorum indigenæ; neque cuiquam, nisi Exarcho Patriarchico, obligantur, & omnis potestas Metropolitanis adimitur, ne inibi sacrificium peragant; hoc enim significat *ἱεροπραξία*, néue præfectum Monasterij designent, id enim est, *ἡ σφραγὶς τοῦ ἡγεμόνος*.

Obserua autem, quàm imperite ibidem hæc verba: *καὶ οἱ τῶν λογισμῶν τε ἀνάδοχοι πνευματικοὶ πατέρες*: Interpres vertat: *Et ratiociniorum susceptores spiritales patres*, &c. Cum vertendum sit; *spiritales patres, qui Confessionibus audiendis vacant*: seu, vno verbo, *Confessarij*. At solenne est Hæreticis Interpretibus hæc talia tenebris inuoluere.

Ibidem subiiciuntur Episcopo, qui habitarunt in loco, antequã Patriarchale Stauropegium erigeretur. Quod intellige, non de incolis Monasterij vel Ecclesiæ; sed vrbis vel oppidi. Aduenæ tamen post defixum Stauropegium eximuntur à potestate Ordinarij, & soli Patriarchæ, eiusque Exarcho subduntur.

In responso de iure patronatus inhibentur, & cohibentur illi, qui à quodam templo fundos & prædia ad aliud sub Patriarchali Stauropegio erigendum transferre moliebantur.

Hoc etiam Cruci, quamuis extra Ecclesiam erectæ, priuilegium concessum fuit, vt qui ad eam confugeret, immunitate æquè gauderet, ac si ad Ecclesiam confugisset. Nam inter decreta Concilij Claromontani Anno Christi MXCV. celebrati, sic habet decretum XXIX. *Si quis ad aliquam Crucem in via, persequentibus inimicis, confugerit; liber, ac si in ipsa Ecclesia, permaneat.*

XXX. Decretum est istud. *Quod si quis pro securitate Ecclesiæ vel prædictæ Crucis, aliquod crimē peregerit, & ad Ecclesiam vel Crucem confugerit, accepta securitate & membrorum, reddatur iustitiæ.* Hoc decretum in temerarios sancitum est, qui impunitatis spe per fugam ad Ecclesiam vel Crucem, scelera intrepidè perpetrabant: quibus tamen Canon ob reuerentiam Ecclesiæ & Crucis hoc concedit, vt nec de vita, nec de vllo corporis membro periclitentur.

CAPVT IX.

Defenditur primum & secundum argumentum Bellarmini pro signo sanctæ Crucis.

De figuris signi S. Crucis & oraculis, quibus prædictum est, vide lib. 4. de S. Cruce cap. 8. & 9.

SIGNVM sanctæ Crucis esse sacrum & venerabile demonstrat Bellarminus primò ex figuris antiqui testamenti. Iunius. *Si hoc signum venerabile esset, id esset aut natura sua, aut instituto, aut respectu aliquo.* (Esto, non refragabor, ne sim in mora progrediendi ad alia.) *Non naturâ: nam & gentes eo signo per artifices sunt vsæ, cum opus signorum Labarorumque delinearent, non fuit autem apud eos sanctum.* Cum de Crucis imagine sermo esset, contendebat Iunius, Labarum, Constantini demùm ætate, fuisse natum; prius Cantabra, & stante Republica, Aquilas in vsu fuisse. Nunc hic & alibi Labara etiam ab aliis fabrefacta scribit.

Deinde meminisse debebat Iunius hoc loco quæri de signo Crucis *transeunte, quod in fronte vel aëre pingitur, vel super quascunque res digito exprimitur*: non autem de stabili Crucis effigie, qualis illa in Labaris & vexillis militaribus. Quam Ethnicis non fuisse venerabilem, quid mirum? cum nescirent, quid figura Crucis portenderet; Et postea, Christo in Cruce passo, ipsam quoque primam Crucem superstitioni deputarint, vt & totam religionis Christianæ summam.

Non

Non instituto, inquit Iunius, *nam non instituit Christus, aut Deus, cuius solius est propriè res sacras dicere & venerabiles religiose: hoc verò non dixit Deus.* Is, qui cultum imaginum instituit, simul etiam instituit cultum Crucis; at Christum cultum imaginum instituisse, docet nos perpetua Ecclesiæ praxis & vsus in colendis imaginibus. Præterea suo vsu, tactu & attactu Crucem primam Christus venerabilem effecit; & alias, quatenus sunt primæ illius, & Christi in ea fixi, imagines; vsu ergo & contactu Crucis, Crucem siue in materia solida & stabili, siue in fronte, vel aëre efformatam, venerabilem esse iussit, atque adeo, vt coleretur instituit; instituit, inquam, vsu & sanctificatione.

De respectu, mira philosophatur Iunius. Quem triplicem statuit, *bonum, malum, medium* seu *indifferentem. Respectum Crucis, etiam vt historicum, non esse simpliciter malum, sed bonum, malum effici, si proficiscatur ex animo præsumente mereri ex opere operato; si fiat certo animo merendi de Christo; si fiat denique superstitiosè, id est, inani & falsa religionis specie.* Quàm grandibus verbis, quàm leues nugas agit Iunius? Nihildum de opere operato quæritur; nihil de merito; nihil de id genus aliis, sed solùm; an signum sanctæ Crucis sit veneratione dignum: & à Christianis vsurpandum. Huc tela, si quæ Iunio suppetebant, dirigenda erant. Huc totum refutationis robur conuertendum. Sed iste nil sollicitus quid dicat, dummodo magniloquè dicat, deq; *circumstantiis, fine, modo, merito, opere operato aliquid garriat*; parum pensi habet, quàm appositè ad Bellarmini disputationes respondeat: quia certus est, se ex suis reperire, qui omnia, quæ dicit, credant, etiamsi à vero longè lateque abhorreant: cuiusmodi & illud est: *Patres signum Crucis alio fine vsurpasse, quàm hodie vsurpetur, & religioni statim accreuisse superstitionem in mentibus imperitiorum radicatam.* Cur ergo Caluinistæ in vsu sanctæ Crucis non imitantur saltem sanctos Patres, si cum huius ætatis orthodoxis se conformare detrectant, abstersâ & detersâ omni superstitione, & vniuerso signaculi Crucis vsu ad limpidos Israëlis fontes repurgato?

Primam figuram signaculi sanctæ Crucis numerat Bellarminus sanguinem illum Agni, postibus ædium in Aegypto illitum. Iunius. *Nos negamus hoc sanguine significatum signum Crucis.* At affirmat S. Augustinus. Cuiusnam potior auctoritas? Affirmat & Lactantius. Vtriusque testimonia protuli in opere de Cruce. Oggannit, *Augustinum loqui allegoricè.* Quid tum? Allegoricè loquitur, quia sanguis ille allegoricè signaculum Crucis significabat; tanquam typus τὸ τυπωθὲν, & figura, figuratum. An quia aliquid Crucem typicè significat; ideò verè eam non significat? *At Augustinus simul loquitur de passione & cruce Christi.* Quid inde? Num eam ob caussam indicat Crucis signum non esse ab illo sanguine significatum?

Non sequitur, inquit Iunius, *sanguis ille significabat Crucis signaculum, ergo signaculum hoc est venerabile.* Imò verò sequitur: quia sanguis ille non significauit hoc signaculum, nisi vt sacrum. nihil enim profanum sanguis iste significabat, ergo significauit Crucis signaculum, vt venerabile, nam omne quod sacrum est, eo ipso venerabile est.

Tau illud apud Ezechielem explicat S. Cyprianus de signo Crucis, vt & D. Hieronymus. Respondet Iunius, *Cyprianum non nominare signum Crucis; sed absolutè signum. Non procedere argumentationem à genere ad speciem: Arbor est, ergo Platanus. Signum est, ergo Crux.* Cauillatur iste, more suo; nam Cyprianus non dicit, quodcunque signum per illud Tau significatum esse; sed signum Christi, quo renati signari consueuerint. Quis autem Ecclesiasticę historię tam ignarus est, qui nesciat, signum Christi, & signum, quo in baptismate insignimur, & signum Crucis, esse synonyma?

Hieronymum, ait Caluinista, *varias interpretationes illius Tau adferre.* Quàm verò varias? Et vt varias adferret, hanc tamen nostram quoque adfert & probat in Ezechielis, & Isaiæ Commentariis, vt in opere de Cruce ostendimus, adductis S. Hieronymi verbis. Mentitur ergo palam Iunius, cum ait: *Hieronymum hanc opinionem de significatione illius Tau non affirmare*; nam apertissimè affirmat, vt patebit inspicienti ipsa D. Hieronymi verba.

Negat Iunius illud Apocal. 14. *Habentes nomen eius, & nomen patris eius in frontibus suis*, pertinere ad signum Crucis. Sed affirmant Auctores citati à Bellarmino centuplo grauiores & doctiores Iunio. Quapropter caussæ nihil est cur Iunio aures aperiamus: tantis viris occludamus.

Manus cancellatas & decussatas Patriarchæ Iacob benedicentis nepotibus, ad signum Crucis trãslatas, suauissimè subsannat Iunius. *Hæc subtilissima*, inquit, *allegoriarum allegoria. Hæc planè Seraphica typi illius allegoria, scilicet.* Sed dum Caluinista Bellarminum ridet, pariter ridet Tertullianum, Damascenum, Auctorẽ quæstionum ad Antiochum, & alios, quorum vestigia Bellarminus sequitur.

Vide lib. 2. de S. Cruce c. 43.

Testimonia sanctorum Patrum partim generali cauillatione, partim specialibus futelis eludere nititur Caluinianus. Generalis cauillatio est, *Patres signum Crucis plurimum dixisse pro oratione pia, quæ fiebat in nomine Iesu Christi crucifixi.* Ostendat vel vnum, qui hac notione signum Crucis vsurpauerit. Non nego *veteres orationi signum Crucis adhibuisse, ad professionem suæ religionis inter orandum obseruatæ*; vt ait Iunius; sed num ideo ipsa oratio *signum Crucis* est appellata; & non illa externa cæremonia, in hoc externo symbolo efformando posita? Si autem prisci

illi

illi ritè & legitimè egerunt, præmittendo signum sanctę Crucis institutæ precationi, cur Caluinistæ eosdem non imitantur? Cur suos pedes in eorum semitis non ponunt?

Sunt itaque synecdochica locutiones Patrum rem & signum vno locutionis modo complectentes. Verè fatuæ & funginæ sunt istæ tuæ animaduersiunculæ; non synecdochicæ locutiones Patrum; nam non modò orationi, sed & cuicunque alteri negotio Crucis signum præmittebant; *ad calceatum, ad vestitum, ad lumina, ad sedilia, ad introitum & exitum,* ad omnem denique actionem & conuersationem, vt Tertullianus testatur. Si igitur signum Crucis synecdochicè accipitur pro re, cui præmittitur, tum non magis orationem significabit, ac aliam quamcunque actionem, quæ ab hoc salutari signo inchoatur.

Tertull. de corona militis.

Quo vsu, inquit Iunius, *Pontificij non animaduerso, de signo Crucis absolutè propriéq; prædicant, quæ figuratè dicta sunt.* Quis vsum hunc animaduertisset, cum nuper primum in cerebro Iunij progenitus fuerit? Audi Iuni; signum Crucis nullus Patrum alio sensu accipit, quàm eo, quem verba primo statim aspectu reddunt; nempe vel pro imagine stabili Crucis, vel pro *transeunte,* quæ in fronte, vel aëre efformatur, &c.

Nos, inquit Caluinista, *in rebus nostris sacris non improbaremus planè signum Crucis, si abesset superstitio, & vitia omnia.* Nulla in Crucis signaculo Catholicis vsitato, superstitio; nulla vitia; si quæ tamen sunt; quid resecare cessatis; iisque resectis purum putum Crucis signum ab omni penitus superstitiosa labe defecatum in fana vestra & acta inducitis?

Ais: *Nobis est cordi simplicitas Christi* (crederem, si vulpina duplicitas, esset Christi simplicitas) *& euentus ipse plus satis docuit, quàm sit periculosum & insidiosum, si, omissa simplicitate illa, traditiones eiusmodi cum rebus sacris & necessariis, præsertim publicis, compinguntur, propterea maiores nostri* (qui nam isti, pręter Caluinum, Bezam, & his priores, Bogomilos?) *piè & citra superstitionem reuocauerunt pios ad simplicitatem Christi à superstitiosa illa Crucis Christi obseruatione.* Quis tam sinceram simplicitatem, & tam simplicem sinceritatem Caluinistarum nō exosculetur & obuiis vlnis complectatur? Quis Christiano orbi non gratuletur, cum eum ad Christi simplicitatem per Caluinistas partim iam reductum; partim eorundem studio, si quo pede cœperunt, pergant; reducendum videt? Necesse tamen erit, vt Caluinistæ simpliciores prius ad eandem simplicitatem reuocent suos fratres & symmystas Caluinianos in Anglia; qui signo Crucis in baptismo, & alibi adhuc vtuntur, imò, vt omnes vtantur, seuerè præcipiunt, vt in opere de S. Cruce copiosè ostendi. Bonum insuper factum fecerint, si Lutheranos quoque simpliciores reddere studeant: nam & apud istos non omnis penitus signaculi

Tom. 1. lib. 4. c. 17. & 18.

Crucis

Tom.1 lib.4.ca. 14 & Tom.3.in Append. 2. ad lib.3. cap.1.

Crucis vsus exoleuit; vt in sæpius nominato Opere de S. Cruce vidimus: tametsi res iam præcipiti gradu ad hanc Caluinianam simplicitatem tendit.

Quocirca mirandum est, quomodo nuper Polycarpus Leiserus, Prędicans Lutheranus, in Absolutione Lutherana, quam Pragę dedit suis auditoribus post concionem de bonis operibus, signum Crucis interponere voluerit; nam absolutionis extremã clausulã sic excudit Typographus: Im Namen Gott deß Vatters / vnd deß Sohns / ✠ vnd deß H. Geists. Non immeritò dubitat is, qui nuper vtramque Leiserianam concionem solidè & eruditè refutauit, R. P. Ioannes Zehender Societatis nostræ Theologus; à quo nam illud signaculum ✠ profectum fuerit; Num à Typographo, an à Leisero; quia certò sibi constare dicit; si quis Prędicans benedictionem Lutheranam suis impertiens Crucis signum adhiberet, fore, vt de suggestu deturbaretur, & omnium sibilis exploderetur; quia factum hoc simplicitati Christi plurimùm aduersaretur. Quàm infausti fuêre veteres Christiani; qui non modò duplices, sed & *duplicissimi* fuisse videntur, si cum Caluinistis componantur; quandoquidem adeo à simplicitate Caluiniana recesserunt; vt Crucis signum vsurparent *ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia,* denique ad quamcunque, vt Tertullianus appellat, *conuersationem* seu *actionem*.

Ait S. Dionysius Areopagita, signum Crucis in omnibus Sacramentis adhiberi. Iunius reiicit primò auctoritatem S. Dionysij. Sed iam habet Apostolicus iste Sanctus suas vindicias à Delrio nostro, contra Pseudoscaligerum, & id genus alios rerum omnium vetustarum negatores, soliusque nouitatis approbatores.

Mentitur Caluinista, morem adhibendi signaculum Crucis Sacramentis, *non fuisse seculi Apostolici, sed pòst adnatum.* Mendacium hoc copiosè profligauimus in Opere de S. Cruce.

Tom.1.li.4.c.6. 7.11.& seqq.

Ait Iunius: *Quando Patres dicunt, Sacramentis adhiberi signum Crucis, intelligi debere orationem coniunctam signo.* Non abnuimus Sacramentis adhibitas, & etiamnum adhiberi precationes sacras. Verum has per signum Crucis significari negamus, quia, vt supra dicebam, signum Crucis externum ritum in efformatione Crucis Christi positum significat; non ipsam precationem, cum qua coniungi solet. Deinde, vt maximè concederemus signum Crucis, significare, etiam formaliter, ipsam orationem, an ideo verum non esset, signum Crucis significare id, quod significat, nempe effictionem & efformationem Crucis?

Librum

Librum Quæstionum & Responsionum ad Gentes, negat Iunius esse Iustini Martyris. Vt ita sit; at est alterius antiqui scriptoris, omnium consensu. Num piaculum erit, sub Iustini nomine librum citare, qui huius solo nomine hactenus circumlatus & lectus fuit?

Virginem quandam signo Crucis munitã ex prostibulo illæsam euasisse, refert Palladius ex Hippolyto scriptore vetustissimo & Apostolis familiari. Obiicit Iunius primò: *Fabulari pro more Palladiũ.* Citius credidero Iunium pro more calumniari. Secundò: *Nullum Hippolytum Apostolis familiarem exstitisse.* Perinde ac si omnes olim Apostolis familiares de facie Caluinista nouisset. Tertiò ait, hoc accipiendum *de oratione fidei coniuncta cum signo professionis apud infideles, qui pudicitiam tentabant Virginis.* Non dubito, Virginem illam preces ad Deum fudisse pro castitatis conseruatione. Sed signum Crucis significat id, quod significat, nempe Crucis efformationem, non autem preces cum hac Crucis efformatione coniunctas. Neque dixit Hippolytus, Virginem illam precibus, sed signo Crucis munitam, hoc est, vi & efficacitate signaculi Crucis, integrâ pudicitiâ, ex insidiis euasisse. Non imus inficias, vt antea testati sumus, eam preces votaque Deo obtulisse, eorumque beneficio laqueos sibi paratos declinasse; non tamen absq; Crucis adminiculo, quam ab hoc miraculo exclusam cupit Caluinista, vt totum effectum & fructum à Cruce ad preces deriuet, cum Auctor ille nullam precum expressam mentionem faciat, sed solius signaculi Crucis. Quæro autem ex Iunio, aliisque Caluinistis, num Virgo, de qua Palladius, fuerit Caluiniana, & an ex more Caluiniano, virginitatem suam signaculo sanctæ Crucis circumuallauerit; & num hodie idem factitent Caluinianæ virgines, si quando in simile periculum incurrant?

Pari fraude & malitia elidere nititur Caluinista, luculentissimum Tertulliani de signaculo Crucis testimonium ex libro de corona militis, cuius ait hunc esse sensum. *Oratione fidei commendamus nos ipsos Deo, signo adhibito.* Nihil Tertullianus de oratione fidei. De solo signo Crucis loquitur. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, &c. frontem Crucis signaculo terimus.* Non est vlla dubitatio, veteres Christianos pro incredibili sua pietate, ad omnem progressum atq; promotum, &c. preces, saltem breuiculas, concepisse; at non quæritur, quid ipsi egerint, sed quid Tertullianus eos egisse scribat, Caluinista semper fraudulenter admiscet preces, vt Crucis gloriam obscuret.

Res, inquit Iunius, *per se non fuit mala.* Cur ergo reiicitur à vobis? Cur modo, quo fieri potest, optimo, non vsurpatur à vobis? Et quo-

modo non fuit per se mala; si, vt tu suprà aiebas, signaculum sanctæ Crucis simplicitati Christi repugnat? *Rem non adeo fugeremus*, inquit Iunius, *si abessent vitia indignè rem illam fermentantia*. Cur fermentum non separatis, vel Alchymista quopiam aduocato, cuius professio maximè in segregandis seiungendisque naturis desudat? Libenter autem intelligerem, num Tertulliani etiam æuo, Crucis signaculo aliquid fermenti admixtum fuerit, & si postea admixtum est, quo tempore hæc tam perniciosa mixtura acciderit?

Profert Bellarminus tria ex S. Cypriano testimonia; duo, in quibus Crucis signum appellatur *signum Dei*; vnum vbi dicit Oziam lepra percussum in fronte, & in hac parte corporis signari, qui Dominum promerentur.

Ad duo priora respondet Iunius, per signum Dei intelligi *characterem Christianitatis nostræ*. Ad tertium, *Cyprianum agere de baptismo ac non de signo Crucis solitario*. Nugas agit Iunius: nam signum Dei per antonomasiam appellatur Crux seu signum Crucis; quia inter externa signa Dei est omnium præstantissimum. Monet ergo S. Cyprianus, vt muniatur frons, quò signum Dei, hoc est, Crucis, tam in baptismo, quàm aliâs fronti impressum, seruetur incolume. *Num character Christianitatis, quem Deus impressit in nobis per spiritum*, vt loquitur Iunius, fronti imprimi solet? Deinde licet in altero loco non loqueretur de sola Cruce; sed & de baptismo, id nihil referret; quia nihilominus verum esset, Christianos Crucis signaculo signari consueuisse. At non agit eo loco Cyprianus de baptismo, sed de solo Crucis signo, loquitur enim de eo signo, quod imprimitur fronti, sed hoc non est baptisma; quia baptismus aut confertur immersione, & sic totum corpus tingitur; aut aspersione, & sic parum interest, quæ pars aspergatur, dummodo principalis pars corporis aspergatur. Quis autem dicat, necessarium esse, vt frons eius, qui baptismum suscipit, aspergatur?

Nouatianum non recepisse ab Episcopo signaculum Christi in fronte; testatur Cornelius Papa apud Eusebium. Respondet Iunius, *hoc intelligendum de iusto baptismo*. Vt hoc vero congrueret, nil tamen Iunius obtineret; baptismus enim à signo Crucis, quod adhibebatur; *signaculum Christi* nominari cœpit: vt vidimus in Opere de S. Cruce. Verùm de baptismo hic non agitur, sed de Sacramento Confirmationis, quod sine signo Crucis non confertur. Vide, quæ Tomo primo de S. Cruce diximus: Nam quæ Iunius hic *de baptismo clinico*, hoc est, de illo, quo ægri, & in morbo cubantes tinguntur, deblaterat, ea ex Caluini lacunis hausta sunt: quasi huiusmodi baptismus nullius sit momenti, nisi postea publicè & solenniter in Ecclesia repetatur.

Lib. 4. cap. 14.

Lib. 4. cap. 15.

Hoc

Hoc minimè dicit Cornelius in illa ſua ad Fabianum epiſtola; ſed ſupponit, Nouatiani baptiſmum,tametſi graui ægritudine diſtento, & ab exorciſta impertitum,fuiſſe verum & legitimum; & hoc ſuppoſito;ſubiicit: *Morbo tandem elapſus,neque cætera,quibus poſt baptiſmum ſecundum Eccleſiæ Canonem imbui oportuerat, acquiſiuit, neque Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit.* Quod nam eſt hoc ſigillum ſeu ſignaculum poſt baptiſma ſuſcipiendum,niſi Confirmationis Sacramentum non niſi cum Crucis ſigillo ſuſcipientibus ab Epiſcopo miniſtrari ſolitum? Quare vanitas Iuniana eſt, quod ait; damnari à Cornelio Nouatianum, *quòd ſolennem baptiſmum in Chriſto & Eccleſia contempſiſſet.* Nihil minus. Damnat,quòd non recepiſſet ea,quæ ex Eccleſiæ vſu poſt baptiſmum ſuſcipienda erant.

Ait Lactantius,Chriſtum iis omnibus prodeſſe,qui ſignum Crucis in fronte conſcripſerint, hoc eſt, interprete Iunio, *iis, qui baptizati fuerint ſignaculo eius, & ſeſe obarmauerint ſui baptiſmi conſcientia, & præſentia Chriſti in ipſis habitantis,quam oratione fidei, & ſigno Crucis exterius profitebantur.* Quales ſtrophæ, quales technæ? Nihil de baptiſmo Lactantius, nec tacitè, nec expreſsè. Nihil de Caluiniana & Lutherana baptiſmi recordatione, qua ſibi peccatorum remiſsionem vaniſsimè ſpondent: pauculis & ſimplicibus verbis vſum ſigni Crucis in fronte inſcripti commendat. Quam commendationem Caluinianus alaſtor minimè ferre valens, verborum fumis & nebulis cuncta inuoluit, & ea Lactantio attribuit, quorum ei in mentem nunquam venit.

Quod & in conſequentibus Patrum teſtimoniis facit; vt in illo Cyrilli; *manifeſtè ſigna te Cruce in fronte. Hæc,* inquit Caluiniſta, *de oratione fidei & profeſsione humilitatis Chriſti dicuntur omnia.* Nihil de his Cyrillus. Solius ſignaculi Crucis meminit. Quapropter tu tibi habe vaniſsima tua gloſſemata, ex immani in Crucem odio prognata: Ex quo prodiit & hoc in S.Cyrillum à te vibratum conuicium: *eum à ſuperſtitione, cruci adnata, non fuiſſe omnino purum.* Si Caluiniſta *Puritanus* fuiſſet, tum, tuo iudicio, ab omni ſuperſtitione puriſsimus dicendus eſſet; & puritate ſua te exæquaſſet.

Inuitis auribus accipit Caluiniſta illud S. Athanaſij: *Signo Crucis omnia magica compeſci.* Iterum aduolat gloſſographus noſter cum ſuis gloſsis; *id eſt, virtute Chriſti:* Sed per Crucem ſeu Crucis ſignaculum. Nemo inficiatur, quidquid per Crucem ſupra communem rerum curſum geritur,hoc virtute Chriſti,tanquam principalis agentis,geri, interim Cruci conſtat ſua virtus inſtrumentalis, à Chriſto, agente primario, communicata. Neque quiſquam excludit Chriſtum, aut virtutem paſsionis Dominicæ, quando Cruce hoc vel illud miracu-

lum perpetratum affirmamus; nemo enim ignorat, omnem vim & efficaciam instrumenti à potissima caussa, quæ est Christus, deriuari.

Dicere solebat S. Antonius, Monachos solo Crucis signaculo tutos esse. Glossator Caluinianus: *Id est, communione Christi crucifixi per fidem illius, & professione ac contestatione fidei.* En quam multa significat in Iunij Lexico *Crux* seu *signaculum Crucis.* Supponit quidem hæc omnia signaculum Crucis; sed aliud non significat, quàm externum illum ritum in effigiatione Crucis positum: deque hoc locutum esse S. Antonium, verba eius satis perspicuè indicant.

A Palladio & eius historia paucis se expedit Iunius. Nominat *fabularum patrem.* Quid vis amplius? Tu dic Iunium, calumniarum architectum, quoad ab hoc criminandi cacoëthe destiterit.

Illud S. Agnetis apud S. Ambrosium; *posuit signũ in faciem meam, &c.* torquet Caluinista ad baptismum. Num ponitur baptismus in facie seu fronte?

Vide Tom. 3. de S. Cruce, lib. 4. cap. 11.

Non reiicit absolutè Iunius dictum S. Augustini, cùm asserit; *nullum Sacramentorum ritè perfici sine Crucis signaculo.* Sed vult, *vt absit superstitio.* Idem nobis est in votis, idem in praxi. Neque enim hodie Sacramentorum confectioni & administrationi aliter adhibetur signaculum Crucis, quàm D. Augustini ætate. Itaque si tunc non superstitiosè, sed religiosè Crux est adhibita, cur non & modò? Si temporibus D. Augustini *non aduersabatur veritati Dei, simplicitati fidei, & ædificationi communi,* cur hodie iisdem aduersaretur?

Versus illos S. Paulini:

Nos Crucis inuictæ signum & confessio munit, &c.

consueta arte tractat Iunius: nimirum *intelligendos de fide & oratione per signum Crucis, tanquam per externum signum, testata.* Hæc omnia inani loquentiæ Iunianæ assigna. Nam de Crucis signaculo agit S. Paulinus, ex fide & fideli mente vsurpato; & huic victoriam, quam ab hostibus reportamus, adscribit. Huic, inquam, non seorsim à Christo, sed vt est signum & instrumentum Christi.

CAPVT X.

Defensio tertij argumenti Bellarmini pro signaculo Crucis.

TERTIVM argumentum petit Bellarminus, à miraculis, per Crucis signaculum patratis. Iunius, *Verisne, an falsis?* Veris. Ne dubita. *Si vera sunt,* ait Iunius, *vtrum ordinaria, an extra ordinem?* Extraordinaria, quia extra communem rerum cursum & sortem.

Obiicit.

Obiicit. *Si extraordinaria: argumentatio est inconsequens ab exemplo rei extra ordinem contingentis.* Ego tam acutus non sum, vt videam, quid huic argumento desit: Deus signaculi Crucis venerationem & cultum miraculis comprobauit, ergo Crucis signaculum verè est venerabile: præsertim cum sit eiusmodi res nullius propriæ culpæ capax, quæ venerationem impedire possit.

Nec satis intelligo, quid hac ordinaria sua stultitia toties iterata sibi Iunius velit: quasi ex operibus extraordinariè editis, non liceat argumentari, rem illam opera talia extraordinariè edentem, esse venerabilem. Quocirca metuo, ne si quis Iunium à miraculis Christi vrgeret, Christum esse venerabilem, è vestigio occlamaret; *Miracula illa esse extraordinaria; argumentationem esse inconsequentem ab exemplo rei extra ordinem contingentis.*

Ait Iunius: quæri posse, *vtrum miracula illa contigerint virtute signi Crucis; an Christi ipsius, accipientis fidem, orationem, & officium professionis nostræ per gratiam. Prius negamus.* At malè negas; nam virtute Crucis, vt instrumenti, quo Christus vtitur, miracula hæc eduntur: neq; quidquam gloriæ Christi detrahitur, quando hæc talia instrumento eius attribuuntur.

Ait Caluinista. *Si de signo Crucis prædicantur ista, vt fit, impropria est & figurata enunciatio.* Talis est, qualis esse solet, quando instrumento effectus adscribitur. quam siue propriam appelles; siue impropriam, parum interest, dummodo à Cruce, tanquam à signo & instrumento Crucifixi, talia opera proficisci concedas: nam quidquid tergiuerseris vel causseris; res abibit in quæstionem & controuersiam de nomine: Quanquam non hoc spectat Caluinista, vt impropriè duntaxat signum Crucis talium miraculorum caussam statuat, sed vt ab omni miraculorum effectione illud excludat.

Iosephus quidam apud S. Epiphanium, primum Iudæus, postea Christianus, signo Crucis Iudæorum incantationes destruxisse dicitur. Iunius. *συνεκδοχικῶς. Pro eo, quod est, inuocatione & professione religiosa nominis Christi, cui adhibebatur signum.* Nihil Epiphanius; nisi de signo Crucis. Huic effectum hunc adscribit. Fidem & inuocationem nominis Christi non excludimus; quam iste includit non vt fidem & inuocationem nominis Christi honoret, sed vt Crucis signum dehonestet, & omni sua efficacitate spoliet.

Vide lib. 4. de Cruce cap. 38.

Iulianum Crucis signo se muniuisse, & mox omnia spectra diffugisse, testatur Nazianzenus. Quid Iunius? *Diuidit res coniunctas Bellarminus, vt fucum faciat: nam coniunxit Nazianzenus rem & veritatem cum signo disertis verbis. Re inopinata perculsus* (Iulianus) *ad Crucem vetusque remedium*

Lib. 4. de Cruce cap. 37.

confugit, eoq; se aduersus terrores consignat, eum que, quem persequebatur, in auxilium adsciscit, &c. *Valuit signaculum. Cedunt dæmones; pelluntur timores*, &c. Hæc Nazianzenus. Subiungit Iunius. *Signum non negamus; sed à veritate, non autem à signo opus esse dicimus, ex Nazianzeni ipsius verbis*: A veritate, hoc est, à Deo seu Christo, est, vt à caussa principali; à Cruce, vt à caussa instrumentali; *Valuit signaculum Crucis*, inquit Nazianzenus; ergo aliquid momenti & energiæ pellendis illis spectris contulit: Ergo & Crucis virtute spectra illa sunt in fugam coniecta. Nam quid opus erat formare Crucem, si sola interior fides & inuocatio nominis Christi absque Crucis signaculo, turbam illam spectrorum credebatur fugatura?

Nysseno in vita Thaumaturgi mira de Crucis potentia scribenti, hanc dat Caluinista alapam: *Eum rumoribus incertis relata congessisse*: Scilicet, tantus vir, leuis corde erat, vt quibuslibet narratiunculis, absque vlteriore disquisitione, fidem commodaret.

Ait Bellarminus: Athanasium & alios recitare multa miracula, quæ ad solum Crucis signum Deus fecerit, &c. Obstrepit Iunius. *Falsò dicitur, ad solum Crucis. Quid enim? Ad fidem, ad orationem fidei, ad professionem nominis Christi non fecit?* Ita, fecit; sed vt ad circumstantias signaculi sanctæ Crucis; quod horum mirabilium peculiare instrumentum erat.

Instat Caluinista. *Si Deus fecit, non igitur fecit aut effecit signum.* Argutissimè. Ac si dicat. Si faber opus artificiale facit; non igitur illud facit instrumentum fabri. Quasi verò, quod primarium agens facit principaliter, id instrumentum primarij agentis non faciat instrumentaliter. Quæ est ista imperitia Iunij? cui meritò appingitur illa Iuniana nota: *Dicuntur ista imprudentius, ne quid dicam grauius. Hæc nobis non sapiunt logicum*: Imò ne rationis vsu aliquo modo perpolitum.

CAPVT XI.

De Crucis oppugnatoribus, eorumq; aduersus Crucem & eius cultum argumentis.

De his vide lib. 1. de S. Cruce cap. 58. & cap. seqq.

CAPITE 26. libri secundi de cultu & inuocatione Sanctorum, enumerat Bellarminus oppugnatores sanctæ Crucis, eorumque argumenta proponit, & postea capite 30. dissoluit. Negat Iunius, *Claudium Taurinensem fuisse detestatum Crucem: sed docuisse solummodo religiosè coli non debere; Ionam Aurelianensem omnia atrocibus verbis exaggerare ῥητορικώτερον.*

Iunius

Iunius suam & suorum Puritanorum caussam agit: nam id, quod reuera sunt; videri propter turpitudinem nolunt. Comunt igitur & velant se, quantum possunt, ne eorum fœditas in aperta luce conspiciatur. Tantus nimirum Crucis amator erat Claudius, quanti sunt Caluinistæ; qui & ipsi clamitant; *se Crucem non damnare; sed superstitionem*: interim omnes Crucis imagines excindunt & exterminant; & signaculum Crucis penitus non vsurpant. nil reueriti diuinam vltionem, quæ cum in alios nonnunquã, tum in Iaponios nonnullos Crucis euersores deſęuiit, de quibus in epistolis selectis Indicis à Maffeio latinitate donatis huiusmodi historia refertur.

Haud ita multò pòst barbari tres è principibus ciuitatũ, communi consilio profecti ad exscindendam Crucem in monte à Christianis erectam, vixdum scelere perpetrato, inter se rixari cœperunt, sibiq́ inuicem id ipsum facinus exprobrare: demũ, eò rixa peruenit, vt eo ipso in loco, vbi Crux posita fuerat, inter se ex prouocatione dimicauerint; quorum duo postridie manè mortui ibidem reperti sunt; tertius verò nusquam postea apparuit, (ablatus à dæmonibus creditur) nec aliud quidpiam de illo auditum est, nisi quod biduo pòst adolescens quidam repente ab immundo spiritu occupatus palàm dicebat; se nimirum esse qui Crucem præsciderat, & propterea se in altera vita torqueri acerbissimè. quod vbi vidêre Iaponij, rei occultandæ gratia, adolescentem abscondere statuerunt; atq; ita ex oculis nostris euanuit, vt nihil de ipso deinde cognouerimus.

Lib. 2. Epist. Indic. in epistola Consalui Ferrandi.

VViclephum & VViclephistas ait Iunius, *eum Crucis honorem detestatos esse, quem superstitio iam diu imaginata fuerit.* Si Iunius absque fuco loqui voluisset, dicere debuisset, VViclephum, eiusq; sectatores omnem simpliciter religiosum cultum Cruci detraxisse; imò & ciuilem seu humanum: nisi fortè humanus cultus censendus est, quòd reliquias primæ Crucis & imagines eius flammis voracibus, vbicunque copia datur, exurunt; & signaculum Crucis ita auersantur, vt quiduis malint sua in fronte pingi, quàm Crucis signum. Ait Bellarminus, mentiri Magdeburgenses, quando Cent. 4. c. 6. scribunt, *vsum signi Crucis sæculo quarto fuisse nouum.* Respondet Iunius, *Magdeburgenses nõ agere de signo Crucis absolutè, sed de signo publicè imprimendo apud Alexandrinos, pro eo, quòd thoracem Serapidis maiores posuerant.* Loquuntur quidem Magdeburgenses eo loco de Crucis imaginibus in vicem thoracum Serapidis substitutis; at mox ex narratione huius particularis facti, vitiosè inferunt hoc mendacium vniuersale. *Is ritus* (pingendi imaginem Crucis) *etiam hoc sæculo nouus videtur: & paulatim in superstitionem degenerauit, vt existimarint simpliciores magnam vim in signatione huiusmodi sitam esse:* quod nihil aliud est, nisi mendacium, siue intelligatur de imagine transeunte Crucis, siue de stabili. Vtriusque enim vsus iam

tem-

temporibus Tertulliani, imò & prius, in vsu fuit, vt in Opere de S. Cruce copiosè docuimus.

Tom. 1. lib. 2. cap. 1 & seqq. & lib. 4.

Eosdem Centuriatores redarguit Bellarminus mendacij, quod Centuria VII. Cap. 6. scribant, Sergium Papam fuisse Auctorem primum, vt crux adoraretur. Respondet Iunius, *Magdeburgenses agere de instituto publico in Ecclesia Romana & occidentali.* Sed dum Iunius mendacium à suis Centuriatoribus amoliri nititur, seipsum eiusdẽ culpæ participẽ reddit: nam hæc sunt Magdeburgensium verba. *Sergius adorationem & exosculationem Crucis inuenit.* An non hoc effrons est mendacium? Nec iuuat illos, *quòd*, vt Iunius obiicit, *Rheginonem citant*: nam neque Rhegino hoc dicit; sed istud duntaxat; Sergium magnã portionem ligni Dominicæ Crucis in Sacrario beati Petri reperisse, quę Crux postea die Exaltationis sanctæ Crucis ab omni populo adorata & osculis culta fuerit. Nihil Rhegino scribit, quod Magdeburgensiũ figmentum stabiliat; neq; enim dixit; Sergium instituisse, vt lignum illud à se repertũ coleretur; quia nihil opus erat institutione, cum veteri religionis Christianæ ritu omnes exploratum haberent, Crucis Dominicæ reliquias & particulas decẽti cultu afficiendas esse. Quod autem tum portio illa Crucis Dominicæ coli cœpta est, nil mirum, quia tum iterum in lucem ex tenebris emerserat.

Illud D. Hieronymi in Epist. ad Marcellam, *Crucis deinde lambere lignum*: Iunius *figuratè* interpretatur: *nam propriè non posse accipi, inde confici putat; quòd lignum Crucis aut non esset amplius in rerum natura; aut quòd non Hierosolymis.* Neutrum est verum; nam & supererat lignum Crucis in rerum natura; & Hierosolymis pars eius erat, relicta ibidem ab Helena, vt diximus in Opere de S. Cruce.

Tom. 1. lib. 1. cap. 62. & 72.

Lambere lignum metonymica est locutio, inquit Caluinista, *& Hieronymiani stili*; Quid ergo significat? *Colere Crucifixum.* Lepidè, si lambere lignum Crucis, non erat osculari Crucem, labiisque attingere; sed absolutè *Crucifixum* colere; facilè Marcella ab argumentis Paulæ & Eustochij, vel potius Hieronymi se expedire poterat, dicendo; quid me Hierosolymam & Bethlehemum inuitatis, vt lignum Crucis lambere, & osculari, hoc est, Crucifixum colere queam; An non & Romæ Crucifixi colendi libera conceditur potestas? Eoque magis hoc regerere potuisset, si cum Iunio sensisset, lignum Crucis in rerum natura non amplius superesse, aut certè Hierosolymis non esse.

Primum hostium Crucis argumentum est; *Crux attulit Christo cruciatum, ignominiam & mortem; non est ergo honoranda.* Respondet Bellarminus, attulisse etiam gloriam & lætitiam, & quidem longè maiorem.

rem. Occinit Iunius. *Nos hac argumentatione non vtimur.* At ea vsi sunt maiores tui Bogomili, Petrobrusiani & alij: Ais: *Nō adeo superstitiosi sumus in damnanda Cruce.* Non superstitiosi, sed planè impij estis in damnanda Cruce. Superstitio saltem pietatis vmbram retinet. Vos nec vmbram nec vmbellam eius habetis. An non detestanda impietas, inficias ire, Crucem Domini in rerum natura exstare, ab Helena inuentam esse? Omnes eius particulas, si quæ in manus vestras incidunt, detestandis flammis absumere: Imagines Crucis exscindere; Crucis signaculum toto pectore auersari?

Secundum Hæreticorum argumentum: *quia stultus & impius iudicaretur filius, qui patibulum Patris sui amaret & honoraret.* Iunius vocat hoc argumentum, *infirmum.* Assentior. Assentirer, licet nauci ac nihili nominasses. Hoc tamen imbelli & infirmo telo Crucis cultum infirmare, quin & exterminare conati sunt Maiores tui Bogomili, Henriciani, & Petrobrusiani. Bellarmini responsionem similiter *infirmam esse*, calumnia Iuniana est; Sed Iunius cogitasse videtur *infirmum* argumentum non nisi *infirmo* responso repelli posse: quasi verò argumentum per se nullius roboris ac pretij, nequeat solidè & eruditè refelli, vt hic à Bellarmino factum, cuius refutationem iste non tangit: ratus satis fore, si nobis iterum suam in Crucem obseruantiam testaretur, *seclusa tamen superstitione.* Quid opus toties iterata protestatione? Iam pridem scimus Caluinistas Crucis, & similium Catholicæ Ecclesiæ institutorum, tam religiosos esse, quàm olim fuêre Claudius Taurinensis, Bogomili, Henriciani, Petrobrusiani; quorum nequitia, *ad iniuriam diuinitatis & contemptus legis sacræ*, inquit Petrus Abbas Cluniacensis, *nouo & apud Christicolas inaudito scelere, populi sunt rebaptizati, Ecclesiæ profanatæ, altaria suffossa, Cruces succensæ; Die ipso passionis Dominicæ publicè carnes comestæ, Sacerdotes flagellati, Monachi incarcerati, & ad ducendas vxores terroribus ac tormentis compulsi.* Omnia Caluiniano & Lutherano more.

Epist. 2. contra Petrobrus.

Ait Bellarminus: Omnes Cruces à nobis adorari, quòd omnes sint imagines veræ Crucis. Iunius. *Hic negamus tria: vnum, Cruces illas esse imagines veræ Crucis, de qua pependit Christus. Nam ne ipsis quidem Pontificiis satis constat, qua forma fuerit Crux Christi, & variæ Crucis habentur formæ.* Imago est, quæ ad imitationem alterius effingitur, repræsentandi gratia, sed omnes Cruces, quibus Ecclesia venerationem impendit; exprimuntur & efformantur ad similitudinem primæ illius, in qua Christus pependit, & quidem repræsentationis gratia: ergo omnes huiusmodi Cruces sunt primæ illius imagines. Nec verum est, nil certò constare de forma primæ Crucis. Nam omnes fatentur

Vide lib. 1. de S. Cruce ca. 59.

V Chri-

Vide Tom.1, lib.1.ca.3. & 4.

Christum nec in simplici, nec in decussata passum. Tantummodò quæritur, de Cruce commissa & immissa. Plerique in immissam inclinant. Quantula autem differentia inter Crucem commissam & immissam?

Alterum, quod negat Iunius: *Cruces illas propterea adorandas esse, quia veræ Crucis dicantur imagines, non enim honorem exemplaris in exemplum transire aut posse influere.* Per exemplar intelligit, nisi fallor, id quod effictum est; per exemplum illud, vnde effictum est. Et negat ab illo ad hoc honorem deriuari posse; sed negat absque probatione; quia adeo exploratum est posse; vt in omnium ore versetur illud; honorem imagini seu, vt Iunius loquitur, exemplari delatum, transire ad Prototypum; seu ad exemplum illud, quod ab imagine seu exemplari repræsentatur. Dic, obsecro Caluinista, non transit honor, quem imagini Cæsaris exhibes, ad ipsum Cæsarem, qui imagine illa repræsentatur? Num terminatur in imagine? Idem & hic fieri cogita. Quanquam prima Crux eius generis est Prototypon, seu vt Iunius vocat, exemplum; vt simul ipsa etiam sit imago Christi; ac proinde omnem honorem, per venerationem aliarum imaginum sibi delatum, ad eundem, vt ad vltimum terminum, transmittat, totumque in solidum Christo transcribat.

Si Iunius per *exemplar* intelligat Prototypum, velitque honorem exemplaris, siue Prototypi non posse communicari cum exemplo, hoc est, cum imagine Prototypi, pro concesso & absque vlla probatione sumit, in quo tota controuersia versatur; nam hoc ipso quod quid sit Prototypi imago; eo fine facta, vt Prototypum repræsentet, vnum habitudine & analogia cum Prototypo atque adeo venerabile efficitur, ea veneratione, qua ipsum Prototypum, tametsi modo diuerso; quia hoc propter se; imago propter aliud: hoc, vt vltimus terminus; imago, vt medius, colitur.

Vide lib.1. de S. Cruce cap.1.

Tertium, quod negat Iunius; *Crucem esse imaginem ipsius Christi Crucifixi: nam ne vestigium quidem est*, inquit, *quod longè minus imagine.* Si homo brachiis extensis est imago Crucis, vt sancti Patres tradunt; ergo & Crux imago est hominis in Cruce; præsertim si expresè fiat ad imitationem & repræsentationem hominis brachiis expansis in Cruce pendentis, vt fit in illis crucibus, quæ à Catholicis erigi solent siue in templis, siue extra templa. Sed Iunius imaginari sibi videtur, nil posse imaginem esse, nisi etiam habitu vultus & oris alium referat; quæ vana est cogitatio, quia non omnimoda, sed aliqua similitudo requiritur, qualis & in Cruce, vbi duo expansa brachia, & lignum arrectarium, quod truncum corporis vna cum pedibus refert.

fert. Itaque non est quod Iunius quærat, *quomodo Crux ex Crucifixo; aut Crucifixus ex Cruce exprimi queat.* Facillimè exprimi potest; expansione videlicet brachiorum, quæ Crucis cornua repræsentant, & expansione cornuum, quæ brachiorum humanorum similitudinem habent.

Sed en argutissimum Iunij argumentum: *Si, vt Athanasius affirmat, signo Crucis omnia Magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt; sequitur signum Crucis viuere.* (Negatur sequela. Probas) *Ex operibus probatur vita: si Crux operatur opera vitæ; viuit igitur. Non viuit autem, ergo nec operatur opera vitæ.* Hoc argumento quid non efficiet Iunius? Etiam hoc; baptismum non *operari opera vitæ.* Nam si operatur baptismus opera vitæ; viuit igitur; nam vita probatur ex operibus vitæ; sed non viuit; quis enim dicat, aquam cum certa verborum formula, vel hanc cum illa copulatam viuere? Non operatur ergo baptismus opera vitæ. Vt tibi placet hæc argumenti tui retorsio Iuni? quem non pudet nescire, quod notum iis, qui vel eminus Theologiam salutarunt; necesse non esse, vt quod instrumentaliter tantum opera vitæ operatur, viuat; satis est, vt principale agens viuat. nam & artifex per instrumenta sua operatur opera vitæ; vt domum, & id genus alia; (ędificare enim domum, viuentis est; nam hactenus nunquam audiuimus vllum ædificium à mortuo architecto ædificatum esse,) & tamen instrumenta artis non viuunt. Idem & de Cruce cogita, quæ in operibus vitæ exercendis, hoc est, in Magorum præstigiis, Dæmonumq; ludibriis pellendis, instrumentum Dei est.

Quid, quod ne ipsum quidem principale agens formaliter viuere oportet ad hoc, vt opera vitæ producat? Quàm multa enim viuentia cælum producit, non vt instrumentum, sed vt caussa principalis, & tamen cælum non viuit. In quas verò angustias compelleret Iunius aliquem Philosophiæ Professorem, si eum hoc spiculo inuaderet. *Omne illud, quod operatur opera vitæ, viuit. Cælum operatur opera vitæ, ergo cælum viuit.* Quis tam robustis lacertis erit, qui impetum tuum sustineat, si cum hoc ariete impresionem facias?

Postquam Iunius, solennissimo suo more, sæpius intonuerat; *Nego; negamus; negatur;* tandem ait, *diabolum non timere Crucem.* Crederem, nisi Diabolus per Caluinistas primam Crucem, Crucis imaginem & signaculum, totis castris perditum tenderet. Nam quæ caussa huius conatus? Certè non amor, sed capitale odium.

Ais. *Canem timere baculum aut lapidem; at non lapidis, aut baculi imaginem vel signum, cur ergo Diabolus timeat imaginem vel signum Crucis?* Ideo, quia non paulò sagacior & solertior est, quàm canis.

Quocirca non ſolum rem, ſed & imaginem & ſignum rei formidat. Negat Iunius *Crucem ex opere operantis vim habere eo modo, quo vim habet oratio.* Cauſſa negationis eſt; *quia oratio eſt actio fidei imperata: Crux verò actio eſt voluntaria.* Vt id ita eſſet: quid inde ſequeretur? An delirium illud Lutheranum & Caluinianum; *Voluntariis nullam diuinitus annexam promiſſionem; ac proinde nihil à Deo impetrare?* Vbi hoc axioma, quod hic Iunius repetit, natum eſt; niſi in ſchola Caluini & Lutheri? An nil potuit à Deo tradi, quod liberum eſſet, & tamen, ſi exerceretur, fructu & effectu ſuo non careret? Deinde negamus vſum ſanctæ Crucis ita liberum eſſe, vt vbique & in omni actione ſine peccato omitti queat.

Ait Bellarminus; ſignum Crucis eſſe inuocationem quandam meritorum Chriſti crucifixi ſigno expreſſam. Iunius. *Signum Crucis non eſt inuocatio.* Proba, ſi potes. Vbi firmiter probaueris, aſſentiar. *quia eſt adiunctum contingens & voluntarium inuocationis.* Scimus cum expreſſa inuocatione ſignum Crucis coniungi poſſe, atque adeo coniungi ſolere, & interdum etiam neceſſariò debere, vt in Sacramentorum confectione & adminiſtratione; & ſic non ſemper *adiunctum contingens & voluntarium eſſe*: ſed aliquando neceſſarium; At num ideo ſignum Crucis per ſe & ſeorſim ſumptum, non eſt tacita & implicita inuocatio meritorum Chriſti? Stulteſcit iterum Iunius neſcio quid, *de concluſione propriè collecta ex figurata oratione.*

Quæ præterea Iunius addit, verborum crepitacula ſunt, ſi non præſtigiæ, quibus ſuis illudit; vt *ſubiectum definitum*, nempe *Inuocationem meritorum Chriſti, eſſe figuratè ſignum Crucis: & hoc fateri Bellarminum.* Vbi? Monſtra, ſi potes. *In definitione ſignum propriè dici.* O tenebricoſos anfractus, per quos ſuos Iunios abripit, ne ad veri adyta penetrent. Quid clarius verbis illis Bellarmini? ſignum Crucis eſt inuocatio quædam meritorum Chriſti crucifixi ſigno expreſſa. Et tamen huic orationis perſpicuitati affundit Nouator iſte *figuratas enunciationes, collectiones, concluſiones, definitum & definitiones*, & ſimilia vanitatis Caluinianæ nugamenta.

Miratur, quomodo ſignum Crucis dicatur ſignum Crucifixi. Nulla eſt mirandi iuſta cauſſa; nam ſignum Crucifixi eſt, quia Crucifixum menti ſubiicit & obiicit. Cur fumus dicitur ſignum ignis? An non ideo, quia ignis indicium eſt?

Ais: *Signum Crucis ſine crucifixo haberi poteſt.* Si, vt debes, loquaris de repræſentatione; ſignum Crucis in Eccleſia vſitatum non magis haberi poteſt; quàm Cæſaris imago ſine Cæſare; veſtigium animalis ſine animali; fumus abſque igne.

Ais:

Ais: *Signum Crucifixi posse haberi sine Cruce.* Da tale signum, quod propriè sit crucifixi signum; & adquiescam. An non vides te pugnantia loqui? Num crucifixum vel signum crucifixi formaliter, sine Cruce animo informare potes? Certè non magis ac calidum sine calore; & candidum absque candore.

De Cruce, qua Iulianus fugauit Dæmones, iam suprà dictum est; sed quia Iunius repetit obiectionem, repetamus & nos responsionem; præsertim cum hæc Crux non minus torqueat Iunium, quàm ipsum Diabolum. Respondet, *finxisse Diabolos metum illum & fugam.* Sed quia videbat hoc responsum ab ipso Dæmone irrideri, ad aliam stropham se conuertit; videlicet, *factum hoc fuisse extraordinarium.* Extraordinarium fuit, quia miraculum fuit. Quid hoc gloriæ Crucis obstat? Quæ vel hinc potissimùm clarescit, quòd Deus per illam, rem alioqui innoxiam, talia opera extra & supra communem naturæ cursum patrare voluit.

Vide lib. 4. de S. Cruce c. 37.

Iudæus apud S. Gregorium Cruce ob spectrorum formidinem signatus, Iunio *fabula est.* At non S. Gregorio. Coniiciantur in eandem stateram Gregorius & Iunius. Vter alteri præponderabit? Vtrius auctoritas grauior erit?

Lib. 4. de Cruce cap. 43.

Addit deinde Caluinista. *Diabolos simulasse timorem.* Parum abest, quin credam. Nam sine dubio Iunius ex Diabolo ipso hoc intellexit. Solet autem Diabolus in iis, quæ narrat, veracissimus esse, neq; vnquam mentiri, nisi cum lubet; Quando autem non lubet?

Tertium miraculum ex S. Epiphanio clamat Iunius *falsò à Bellarmino adduci, esse enim de fœmina Christiana.* At Iunius, vt alibi, ita & hic nimis præceps fuit, & quod apud Epiphanium subiungitur aut non legit, aut dissimulauit; mox enim commemorat, quomodo Iosephus Iudæus, cum adhuc in Iudaismo hæreret, insano cuidam per aquam consecratam, & signaculum S. Crucis sanitatem mentis restituerit. Quod exemplum facit ad institutum Bellarmini, probare instituentis, signum Crucis non tantùm ex deuotione & fide operantis, sed & ex *opere operato* effectus suos producere, quandoquidem Iosephus iste, quando *insanum* illum signo Crucis curauit, necdum in Christum crediderat. Quæ Iunius annectit de argumentatione ex extraordinariis ad ordinaria, ordinariæ sunt Caluinistæ huius nugæ & gerræ.

Lib. 4. de sancta Cruce cap. 39.

Probat Bellarminus, eandem de opere operato sententiam ex S. Augustino. ex lib. 83. Quæstionum, quæst. 79. vbi dicit, signa hæc valere, etiam *cum ab extraneis vsurpantur.* Respondet Iunius, *nullum ibi verbum de signo Crucis exprimi.* Fateor speciatim non exprimi. Non exprimi

Vide lib. 4. de S. Cruce c. 62.

primi generatim & implicitè, falsum est: nam S. Augustinus in genere loquitur de signis & externis ritibus, quibus miracula patrantur, vel Dæmones eiiciuntur; inter quæ haud minimum locum obtinet S. Crucis signaculum; & hæc signa affirmat D. Augustinus interdum quoque pondus & momentum habere, cum ab extraneis, veræque fidei exsortibus vsurpantur. Nec vnquam dixit Bellarminus, S. Augustinum hoc loco agere de signo Crucis *singulariter*. Iunij hæc figmenta sunt; vt habeat criminandi & sycophantandi materiem.

Ait Bellarminus, morbos & cætera mala, quæ non possunt percipere vim signorum, fugari per Crucem, tanquam per signum fidei & fiduciæ, vel potius tanquam per inuocationem signo expressam. Iunius. *Si ita est; ergo signum Crucis non est caussa, sed concaussa.* Voca, si libet, concaussam; quandoquidem caussam nominare non libet; dummodo caussæ rationem signo Crucis non adimas. Si ideo aliquid caussæ nomen non meretur, quia cum aliis effectum producit, tum Deus sæpe non erit caussa, sed concaussa, quia sæpe agit & *caussat* cum caussis secundis; & istæ non erunt caussæ; quia vim agendi cum Deo coniungunt: Nec instrumentum erit caussa, licet cum adiectione vocis; *Instrumentalis*: sed *concaussa*. Nec vbi plures caussæ partiales conueniunt, vlla caussæ nomen sortietur, sed tantùm *concaussa*. Quasi verò coniunctio cum aliis caussis caussæ rationem tollat, præsertim quando sunt plures diuersi ordinis, sed tamen sibi mutuo subordinatæ.

Addit Iunius: *Imò ne caussa quidem est* (signum Crucis) *sed signum duntaxat caussæ.* (Probationem desidero, sed nullam apud Iunium inuenio) *signum autem, si quid plus quàm significet, iam desinit esse signum.* Iterum probationem desidero. Nam Sacramenta signa sunt, & tamen caussæ. Sidera adeo signa sunt, vt quædam ex illis etiam per antonomasiam vocentur signa: & tamen caussæ sunt. Quis vsque adeo philosophiæ imperitus est, vt sidera in hæc terrestria nihil agere existimet?

Sequitur omnium subtilitatum subtilissima: *Signum Crucis est figura; ergo nil agit.* Probatur consequentia: *Quia figura non est actiua, vt notum vel ex Aristotelicis prædicamentis.* Quis non suspiciat istud si nō plumbeum, at certè stanneum acumen? Philosophi cum *figuram* agere negant, agunt de figura, quæ ex quantitate resultat; iste ad figuram seu formam signaculi Crucis accommodat. Apposite profecto, præsertim cum hic non de naturali agendi vi; sed de supernaturali disputetur; qua vi & efficacitate Deus etiam illas res, quæ alioqui ad agendum

dum vel absolutè, vel respectu huius aut illius effectus, in actu secundo inidoneæ sunt; donare potest.

Ait Bellarminus; rebus, cum signantur Cruce, aliquam sanctitatem accedere, non in aliqua Physica qualitate, sed in relatione consistentem: item tunc, cum tangunt reliquias. Citatque S. Basilium in Psalm. 115. Nyssenum, Chrysostomum. Ad quæ Iunius. *De hac re nullum Basilius verbum.* De Cruce, fateor, nihil Basilius. Sed num nihil de reliquiarum contactu, cuius caussa Bellarminus Basilium, & alios Patres protulit? Audi ergo D. Basilium. *Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps.* I nunc & clama: *Nullum verbum hac de re Basilius.* Qua de re? De sanctificatione per contactum reliquiarum, pro hac enim citauit Bellarminus S. Basilium. Aequè clarum est Nysseni testimonium: Quod iste eludit, quia nihil in illo de Cruce apparet. Quid tum? Num dormitabas, quando legebas Bellarminum, vt videre nequiueris, cuius gratia Bellarminus Nyssenum testem laudarit?

Chrysostomus Iunio *agit Rhetorem*; additque, *Rhetoricas & demogoricas orationes non esse ad stateram logicam expendendas.* Rhetor fuit S. Chrysostomus, non forensis, sed Ecclesiasticus, cui minimè concessum ex musca elephantem facere; & falsa pro veris venditare.

In hoc responso non conquiescens Iunius aliud longè efficacius adfert: *Chrysostomum communi per eam ætatem superstitionis morbo laborasse.* Optima & solidissima responsio. Chrysostomus, quem totus orthodoxus mundus *Sancti* nomine cohonestat; superstitiosus fuit; Iunius, quem tota posteritas orthodoxa detestabitur, religiosus fuit. O miram rerum conuersionem: Sanctus est superstitiosus; & hæreticus, religiosus. *Quis audiuit talia,* dic, *mirabilia?*

Obiicit Caluinista. *Chrysostomum nominare duntaxat benedictionem, non sanctificationem, nec agere de solo contactu, sed & de aliis actionibus coniunctim.* At satis est Bellarmino, contactu reliquiarum, benedictionem impetrari. De solo contactu non laborat, quia nouit aliis itidem actionibus hanc sanctificationem obtineri posse; & si sanctificationem appellare nolis, benedictionem appelles licet.

Citat Bellarminus S. Augustinum dicentem, catechumenos sanctificari per signum Christi, orationem, & manus impositionem. Vociferatur Iunius: *Non valet consequentia à diuisione rerum coniunctarum.* Quas res coniunctas diuidit Bellarminus? Quas tu diuisiones somnias? An non coniungit Bellarminus tria illa sanctificationis instrumenta, æquè ac illa coniunxit S. Augustinus? Ex cuius sententia, si signum Crucis cum oratione, & manus impositione catechumenum

sancti-

sanctificat; cur catechumenos vestros iisdem modis non sanctificatis? Cur Cruce Christi non insignitis? Cur hanc, vt superstitiosam cæremoniam, repudiatis, cum sit quidam sanctificationis modus? At video, quorsum collinees. Quia enim tria hęc coniunxit S. Augustin., tu inferre vis, *signaculo S. Crucis seorsim sumpto nullam penitus sanctificandi vim inesse:* quod perinde est, ac si audito, quod sol & ignis conclaue aliquod calefaciant, inde colligeres, ignē aut solem solitariè acceptum non calefacere. Quæ sanè perquam acuta esset collectio, & digna Iuniano acumine.

CAPVT XII.

Defensio eorum, quæ Bellarminus lib. 2. de Sanctis cap. 12. pro Crucis cultu disserit.

CVM Illustrissimus Cardinalis Bellarminus probare vellet, imagines Christi & Sanctorum esse colendas; obiter nonnulla adspersit de cultu & veneratione Crucis, nam Crucem semper in Ecclesia fuisse honoratam certissimum est; & patet ex Damasceno, qui ait, *cultum Crucis & imaginum esse Apostolicam traditionem.*

Iunius: *Probationem desideramus; nam hoc nec Apostoli, nec patres orthodoxi primigeniæ illius & purioris Ecclesiæ cognouerunt.* Nos rectius à te huius tuæ negationis probationem flagitamus, quandoquidem tantus nō es, vt tibi omnibus argumentis destituto, dum Damasceno, tam docto, sancto & prisco in faciem resistis & contradicis, fidem absque vlla cunctatione, aut tergiuersatione habeamus. Omissis plurimis, quę fusissimè in Opere de S. Cruce super hac re disputata sunt; temeritatem tuam hoc loco aureâ illâ D. Augustini regulâ repellimus. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

S. Aug. lib. 4. de baptis. contra Donatist. c. 24.

Negat Iunius; Crucem idem esse; quod Crucifixi imaginem: *Propriè,* inquit, *aliud est Crux, aliud imago crucifixi.* Subtilis distinctio, nec capienda, nisi à mente, quam Caluinianus alastor afflauerit. Nam quid aliud est *crux,* prout propriè in Catholica Ecclesia vsurpatur, omniumque oculis exponitur, nisi Crucifixi repræsentatio? si propriè est Crucifixi repræsentatio, ergo & propriè Crucifixi imago; quia Crucifixi imago, nil aliud est, quàm Crucifixi repræsentatio. Quapropter inane commentum est, quod dicit Caluinista: *Si Crux pro imagine Crucifixi sumatur, id fieri per Synecdochen aut Metonymiam:* nullo modo, quia Crux propriè est imago Crucifixi, absque vllo tropo. Sicut imago Cæsaris

Cæsaris propriè est imago Cæsaris; licet imago non sit *Cæsar*, nisi tropicè, sicut & Crux, non est *Crucifixus*, nisi tropicè.

Ait Caluinista: *Si Crux sumatur pro figura illa materiata, negamus honorandam*. Negas, sed vbi negationis firmamenta? Hæc intueri cupimus. Pergit Iunius. *Si Crux accipiatur pro figura impressa menti, in qua idem est, νόησις & νοητὸν, id est, pro Christo crucifixo, & quasi picto ante oculos nostros, Christus superior omni materia & cogitatione nostra, est Deus supra omnia benedictus & supremo honore afficiendus atque adorandus*. Quæ technæ, quæ fraudes, & quæ diuerticula huius Caluiniani? Non quæritur de conceptu formali Crucis, seu de illa imagine, quam mens de Cruce & Crucifixo format; num sit Crux, num cultu afficienda; sed tota controuersia est de Cruce externa, quæ ex certa materia constat, & sub aspectum cadit: nam quod iste dicit, *νόησιν καὶ νοητὸν, intellectionem & intelligibile*, idem esse, id haud intelligitur de *identitate* vniuoca, quoad naturam, seu entitatem; sed de *identitate* per similitudinem repræsentationis: Nam intellectus rem intelligendo fit ipsa quodãmodo res, propter speciem & formalem conceptum rei, quæ duo sunt quædam simulachra rem repræsentantia. Quæ hoc loco, vbi tota disputatio est de Cruce externa, tam opportunè ingerit Iunius, ac si quis, quando quæritur, num reliquiæ Christi & Sanctorum imagines cultu prosequendæ sint, disquirere ingrederetur, an imaginum externarum imagines mentales, seu quas mente efformamus, cultu affici debeant. Tempestiua profectò hæc inquisitio foret.

Fatetur Iunius, *crucifixum adorandum, & supremo honore persequendum*. Si quæras, num & secundum naturam humanam; hic vel vox faucibus hærebit; vel si non hæreat, negatiuum responsum audies. Si blasphemiam detesteris, Caluinistæ susque deque habebunt, quin & subsannabunt, tanquam tenuiter Theologiæ arcanis imbutum.

Adiungit Iunius. *Si Crux sumatur pro vtroque*; id est, pro conceptu formali & imagine mentali Crucis, proque ipso Crucifixo, *negamus quidquam in adoratione Deo coniungi oportere, qui in spiritu & veritate se iubet adorari*. Iterum dico; non est quæstio de Cruce illa spirituali, & conceptu formali Crucis externæ, an siue separatim, siue iunctim cum Crucifixo adorari possit aut debeat; sed cardo rei in eo versatur, num Crux externa sit honoranda, non seorsim à Crucifixo, sed copulatim, nimirũ, vt imago Crucifixi. Sed Iunius hæc & talia miscet, vt lectores aliò abducat, laudemque subtilitatis tum maximè promereatur, quando maximè stultescit. Nec obstat venerationi in spiritu & veritate, veneratio imaginis, præsertim Crucis; quia is Crucifixum nec in spiritu nec in veritate colit, qui Crucem vel aliam quamcunque Christi imaginem

X

ginem colere abnuit. Quæ est aperta sanctorum Patrum non vno loco sententia.

Sed accipe acutissimum ex Physicis argumentum: *Infinito nihil potest adiungi, neque accedere. Cum ergo Christus sit infinitus, saltem quoad personam & diuinam naturam, nihil ei adiungi vel accedere potest. Sed accederet illi aliquid, si cum crucifixus colitur, Crux simul cum illo coleretur.* Quàm agrestis vbique ruditas. Quam vndique incultum rus. An infinito lapidum cumulo, vel infinito aureorum numero nihil penitus addi potest? Num si duos tresúe lapides adiicerē; infinitum illum numerum tollerem? Tu affirmas: *nam si quis quid adiungit, infinitum tollit.* Itáne tollit? Imò tantùm abest, vt adiiciendo, infinitum tollat, vt ne demendo quidem & subtrahendo tollat: Loquor non de infinito in perfectione; sed in numero & quantitate.

Si Caluinista dicat, sibi sermonem esse de infinito in essentię perfectione; non refragabor; & dicenti fidem habebo; ne perpetim aduersari videar: Sed ineptiam suam hac excusatione non minuet; tum quia licet venerer imaginem Dei, quatenus Deus: cum ipso Deo, tanquam cum suo prototypo; nihil diuinæ & infinitæ perfectioni adiicio; nam imago Dei, etiam prout cum prototypo vna eademque veneratione afficitur, non est perfectio essentiæ diuinæ; tum quia Crux, (vt & quæuis alia imago Christi hominis,) non est imago, Christi, nisi secundum humanam naturam, quæ non est infinitæ perfectionis. Quocirca licet Crux Christo secundum humanam naturam adiungeretur, non infinito, sed finito adiungeretur.

Ad Lactantij & Sedulij versus, quid Caluinista respondeat; iam suprà vidimus, cum de Crucis imagine sermo esset. *Lignum Crucis*, & *speciem Crucis* ridicula admodum Metonymia pro Crucifixo accipit. Nil addo: quia iam antea ineptia hæc satis est confutata.

S. Ambrosius dicit; Helenam sapienter egisse, *quæ Crucem Christi in capite Regum leuauit & locauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur.* Iunius, *id est, Christus crucifixus, qui in Christianis Regibus & Principibus habitat.* Prorsus inscitè & contra mentem S. Ambrosij; qui illud in Regibus adoratum ait, quod Helena in capite Regum posuit; hoc autem non fuit Christus crucifixus, habitans per suam gratiam in Regibus, sed clauus, quo Christus cruci affixus fuit, (quem S. Ambrosius vocat Crucem) quem diademati regio Helena intexuit, Constantino filio suo ad tutelam & ornatum: *Nam de vno clauo frenos fieri præcepit,* inquit sanctus Ambrosius, *de altero diadema intexuit.* Ergo S. Ambrosius per *Crucem* in Regibus adorandam non intellexit metonymicè Christum crucifixum; sed clauum Crucis, diademati Constantini illigatum; &

Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 93.

quidem

quidem deuotionis caussa; nam vnum clauum *vertit ad decorem, alterum ad deuotionem*, inquit S. Ambrosius: de quo in corona Imperatorum posito, admirandi & tremebundi Iudæi dicebant: *Ecce & clauus in honore est, & quem ad mortem impreßimus, remedium salutis est, atque inuisibili quadam potestate Dæmones torquet.*

Illud S. Ambrosij ex lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. *Nunquid cum in Christo imaginem Dei, Crucemq; veneramur, diuidimus eum?* Hac techna eludere conatur Caluinista: *Obseruare disputatorem oportuit, Ambrosium dicere,* IN CHRISTO, *sensus ergo est, Ambrosium adorauisse Christum vtrâque naturâ in vnitate personæ. Naturâ diuina, qua imago Dei est; humanâ verò, qua caro factus & crucifixus pro nobis.* Hoc nimirum verè est, *Tragelaphos pingere*, vt Iunius loqui amat. S. Ambrosius expresse loquitur de Crucis veneratione; iste nobis concionatur de veneratione vtriusq; naturæ in Christo, *diuina & humana.* Quasi *Crux* significet humanam Christi naturam: & is, qui dicit, se in Christo Crucem adorare; significet, se Christi humanam naturam adorare. Quæ hæc tam febrilia somnia? Quæ tam anilia deliria?

Et tamen Iunius thrasonico ore subiicit: *Hæc sanctè ab Ambrosio dicta de persona Christi pessimè disputator accipi de Cruce putat oportere.* Non sufficit Iunio ineptire, etiam calumniari lubet. Nam S. Ambrosius prius de adoratione diuinæ & humanæ naturæ locutus fuerat. *Nunquid cum & diuinitatem eius adoramus & carnem, Christum diuidimus?* (Vbi obserua contra Caluinistas, etiam carnem Christi, adorandam esse) postea subiungit. *Nunquid cum in eo imaginem Dei crucemq; veneramur, diuidimus eum?* Quo loco siue per imaginem Dei intelligas naturam diuinam, est enim Christus *splendor gloriæ & figura substantiæ Dei*, siue naturam humanam Christi factam ad imaginem & similitudinem Dei; siue etiam externam Dei vel Christi effigiem; apertè tamen S. Ambrosius venerationem Crucis à veneratione imaginis Dei seiungit: Et Christum vnum in persona permanere affirmat, siue adoretur & colatur secundum diuinam naturam, siue secundum humanam: siue secundum imaginem Dei, siue secundum crucem. Dicimur autem, *in Christo crucem colere & venerari*; quia propter Christum, & relatiuè ad Christum eam colimus & veneramur.

Hebr. 1.

De S. Paula D. Hieronymus: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Iunius: *Quòd prostrata, quasi pendentem Dominum Iesum adorabat; religionis; quod ante Crucem materiatam prostrata, superfluum opus superstitionis est.* Non ait D. Hieronymus, S. Paulam prostratam, pendentem Dominum adorasse; sed prostratam adorasse, tam intentè & attentè, quasi ipsum Dominum de Cruce pendentem in-

tueretur. Adorauit quidem prostrata Dominum, at non quomodocunque; sed ante Crucem, hoc est, in Cruce, & per Crucem, & quidem *materiatam*, quia ante illam, in qua Christus mortem obierat, mundumque ab exitio redemerat. Hoc si *superstitionis superfluum opus fuit*, vt Caluinista iudicat; cur id S. Hieronymus in laudibus S. Paulæ enumerat? Cur vir tantus, ad quem, tanquam ad oraculum, ex toto orbe concurrebatur & scribebatur; non exemit S. Paulæ hanc superstitionem? Cur tam incircumspectus fuit, vt eam quoque literis consignaret, & posteritati commendaret ad perpetuam eius, quam laudare instituerat, notam?

Ait Iunius: *Se non dubitare, quin obiectus locus zelum & deuotionem Paulæ accenderit.* Neque ego hac de re dubito; neque dubitauit S. Hieronymus; neque dubitant illi, qui vel coram experti sunt; vel pia mente legerunt, quanta animos ad pietatem inflammandi, & dulcissima quadam voluptate intimos sensus perfundendi; vis & energia insit in illis locis, quæ Christus vitâ, miraculis & sanguine dedicauit.

Vide lib. 1. de Peregrin. cap. 8. & 12.

Illud, ANTE CRVCEM, *puto exponendum esse,* inquit Iunius, *ante locum Crucis μετωνυμικῶς. Nam ad vrbem Hierosolymorum erat, vbi passus pro nobis Christus.* En vt lubricus iste Caluini serpens in omnes partes se flectit ac reflectit, vt gloriam Crucis obscuret; Tam enim certũ est; Crucem coram qua S. Paula prostrata adorasse scribitur, significare Crucem illam materialem, in qua Christus pependerat; quàm certum est; in illo D. Lucæ: *Et imposuerunt illi* (Simoni Cyrenensi) *Crucem portare post Iesum: Crucis* vocabulum accipi pro Cruce materiali: nam quis credat S. Hieronymum Crucis materiatæ, quæ Redemptionis nostræ illustrissimum monumentum est, nullam facere voluisse mentionem? cum alia sacra symbola, Christi vsu & tactu consecrata, & à S. Paula piè adita & culta, tam enucleatè, & propè dixerim, minutatim percensuerit; vnumque ex præcipuis pietatis operibus habitum fuerit ab iis, qui Hierosolymitanam peregrinationem suscipiebant, Crucẽ Dominicam adorasse, & piis osculis salutasse. Hinc Paula & Eustochium in epistola ad Marcellam, inter cætera, quibus ei profectionem Hierosolymitanam persuadere nituntur, etiam hoc argumentum adferunt, vt possint simul *Crucis lignum lambere*; hoc est, religiosis oculis Crucem Dominicam, seu partem Crucis Dominicæ, quæ Hierosolymis asseruabatur; venerari ac colere.

Si S. Paula lapidem sepulchri Christi, si ipsum sepulchrum ardentissimo affectu coluit, complexa & osculata est, tota in lacrymas soluta; num credibile est, eam neglexisse Crucem, neq; vllum huic tam pretioso thesauro habuisse honorem? *Ingressa sepulchrum*, inquit S. Hierony-

ronymus, *resurrectionis osculabatur lapidem*, &c. (Quis credat eam pari cultu non affecisse Crucem?) *& ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat.* (& iste Caluinianus nobis persuadere conabitur S. Paulam nihil honoris ipsi Cruci impertiisse; quæ summi sacrificij sacratissimum altare; & Christi redemptoris nostri diuino cruore longissimè irrigata fuerat? *Quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat.* Quid mirum igitur, si & prostrata ante Crucem, non secus *adorauit*, ac si pendentem Dominum oculis corporeis contemplata fuisset?

Superstitioni deputat Caluinianus Alastor, quòd ante *Crucem materiatam* Paula sese prostrauerit, & quasi Christum de Cruce suspensum intueretur, preces & vota ardentissimo pectore conceperit. Si ante Crucem materiatam hoc facere superstitio est; etiam ante locum Crucis vel Crucifixionis hoc facere superstitio erit; cum iste etiam locus sit materiatus. At Iunius hoc secundum, non habet pro superstitione, sed pro pura religione. Debebat igitur neque primum illud superstitioni accensere; nec accensuisset, nisi & superstitionem & religionem suo palato metiretur; ita vt quod ei sapit, sit religiosum; quod non sapit; superstitiosum.

De Auctore Quæstionum ad Antiochum, diximus supra. Quem quod Iunius conuiciis incessit, nil præter solitum facit; vt & tunc, cum mentitur; *Auctorem istum rectè definire lanceam, arundinem, spongiam tam sancta esse, quàm sit ipsa Crux, ac proinde earum imagines tanti esse, quanti imago Crucis est, oportere*, hoc est, *nihili*, vt satis innuit Iunius: Sed hac de re Auctor ille nullum penitus verbum, vt intelliget quisquis Quæst. XVI. quæ in noua Græcolatina editione est XLI. vel obiter solùm inspexerit.

Ait Bellarminus; Ethnicos Christianis obiecisse cultum Crucis. Iunius. *Non sequitur, ergo coluisse. Ethnica argumentatio est, non vera probatio.* Imò sequitur; nam Tertullianus, & alij, qui criminationes Ethnicorum ex professo confutarunt, hanc de cultu Crucis obiectionem, minimè à Christianis amoliri tentarunt; vt suo loco vidimus.

Oggerit Iunius. *Christianis etiã infanticidia & alia nefaria crimina obiecta, nec tamẽ sequi, ea fuisse ab illis patrata.* Nõ sequitur, quia & ꝓfessioni Christianæ religionis, & sanctimoniæ ac integritati veterum Christianorum aduersa fronte repugnant, & à Christianæ fidei & innocentiæ propugnatoribus, vt à Tertulliano, aliisque, tanquam vanissima mendacissimorum fabulatorum commenta redarguuntur. De Minutio iam supra actũ est; vt & de loco S. Cyrilli contra Iulianum.

Ait Bellarminus, ridiculos esse Centuriatores, qui Cent. 8. cap. 9. in fine dicant; *non esse eandem rationem Crucis & aliarum imaginum, nam Christum nos redemisse Cruce, non imagine, ac proinde Crucem, non alias imagines honorari debere*: Quæ fuit veterum Iconoclastarum, vel potius Semiiconoclastarum, responsio, qui Crucem retinebant & honorabant; cæteras imagines confringebant, nulloque penitus honore dignabantur.

Vide lib. 1. de S. Cruce c. 58.

Respondet Iunius, per Crucem non intelligi *Crucem materiatam, sed opus redemptionis nostræ.* Commentum prorsus Iunianum, hoc est, futile & inane, ipsi rei veritati & historiæ penitus repugnans: Nam veteres Catholici vrgebant Semiiconomachos tali argumento: *Crux est habenda & honoranda; Crux, inquam, ista materialis, & quæ in oculos nostros incurrit, ergo & aliæ Dei & cælitum imagines habendæ & honorandæ sunt.* Concedebant Semiiconomachi antecedens, negabantque consequentiam: Et huius suæ negationis varias assignabant caussas, vt patet ex opere contra Imagines, quod Carolo Magno à sectariis adscribitur, lib. 2. cap. 28. Cuius Epitomen quandam conficiunt Centuriatores Centuria octauâ cap. 9. Præter encomia Crucis, quæ Auctor ille persequitur, hanc potissimum rationem reddit, cur Crux sit colenda, non cæteræ imagines; quòd Crux non sit pictura, colorum fucis adumbrata; sed instrumentum quoddam supplicij ex ligno aliáue materia compactum: tamque clarum est Auctorem librorum Carolinorum loqui de materiata Cruce, non de Opere nostræ redemptionis, vt qui id negat, eum & oculos & intellectum amisisse oporteat; nec ad huiusmodi peruicaciam & proteruiam contundendam alio opus est malleo, quàm vt in rem præsentem veniatur; & quæ Auctor ille scribit, perlegantur.

Quærere autem iuuat ex perfectis Iconomachis nostris Caluinianis, quomodo eis hæc Elogia Cruci à Semiiconoclastis tributa, arrideant. *Hoc vexillo, antiquus hostis victus est. His armis Diabolus expugnatus est. Per hanc* (Crucem) *humanũ genus redemptũ est. In Cruce pretiũ mundi pependit.* (Pependitne Christus in opere & mysterio redemptionis nostræ, an in Cruce materiata?) *Illa itaq; ad seruile supplicium, ministra exstitit. Hoc est nostri Regis insigne, quod nostri exercitus indesinenter aspiciunt legiones: hoc est signum nostri Imperatoris; quod ad prælium nostræ sequuntur cohortes. Dominicæ Crucis mysterium* (hoc est, Crux Dominica) *est vexillum, quod in campo duelli, vt fortius confligamus sequi debemus: arma, quibus libertatem tueri valeamus: munitio, qua infestantium hostium incursus euitemus. Est cassis, qua Diabolici ensis impulsio quatitur: Est clypeus, qui ad resistendum illius missilibus telis opponitur; Est thorax, quo illius spiculorum siue pilorum illisio ignita frustratur.*

tur. Hoc est munimen, *quo illius flexuosæ fraudis Mæandros, & callida machinamenta deuincimus, ne vincere valeat tentatos, quos primi hominis tenuit suasione captiuos. Per Crucis lignum antiqui illius sceleris facinus diluitur, quod in Protoplasto per ligni esum contractum est. In Crucis hamo criminum Auctor captus est.* Hæc & similia Auctor ille de Cruce, de Cruce, inquam, materiali & externa, in qua Christus moriendo mortem superauit. Quæ quàm grata Caluiniano stomacho eueniant, haud est difficile conjectare.

Quid Iunius fabuletur de sanctæ Crucis Inuentione; iam suo loco audiuimus. Fabulis eius hic oppono Festum Inuentæ Crucis Latinæ Græcæque Ecclesiæ solenne; Etiam VVisigothorum legibus olim sancitum, & nō tantum Christianis, sed & ipsis Judæis indictum: *Dies tamen ipsi,* inquit Legislator, *qui ab iisdem Iudæis solicita deuotione sunt obseruandi, hi sunt: id est, Festum sanctæ Virginis Mariæ, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur. Item natalis Christi, vel circumcisionis, vel apparitionis suæ dies. Pascha quoq; sanctum, vel dies sacratissimi octauarum. Inuentionis quoq; sanctæ Crucis Dominicæ festum, nec non & Ascensionis Dominicæ diem, vel Pentecosten, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.* Et hæc pro gloria sanctissimæ Crucis aduersus leuissimum eius cauillatorem, fraudulentumque calumniatorem disseruisse hoc loco sufficiat. Cætera petantur ex Tomis de S. Cruce.

Lib. 12. leg. VVisigoth.

Committere tamen nequeo, quin hic attexam, quæ iam olim Petrus Abbas Cluniacensis in sua doctissima contra Petrobrusianos Epistola pro sacrosanctæ Crucis cultu & veneratione disseruit. Caussas facti mei duas habeo. I. Quia ea Epistola, quæ omnium inter hæreticos versantium manibus teri deberet; vix iam, nisi pauculis, nota est. II. Quia eruditus ille Abbas ita rem gerit, vt tela eius non magis in priscos, quàm in hodiernos Crucis hostes valeant: nec tam Petrum Bruis eiusque sectatores, quàm Caluinum, Iunium, & huius notæ alios refellit. Tu, lector, lege, & si Crucifixum colis, Crucem quoque cole, vt verus sis Crucifixi cultor.

DE

DE SANCTA CRVCE EIVSQVE VENERATIONE EX EPISTOLA SECVNDA PETRI ABBATIS CLVNIACENSIS CONTRA PETROBRVSIANOS.

** Caluinianos.*

*HINC ad defendendam Crucem Domini, contra secures vestras, & gladios * sermo festinet: licet iam non nisi tardius accedere poßit. Praueniſtis ſceleſtis operibus celeritatem verborum, & profundis in religionem odiis (quod vel cogitare ſcelus fuerat) inſigne noſtræ fidei tollere attentaſtis. Quod tunc factum eſt, quando ad inauditam diuinitatis contumeliam, * magno de crucibus aggere inſtincto, ignem immiſiſtis, pyram feciſtis, carnes coxiſtis, & ipſo paßionis Dominicæ die, Paſchalem Dominicam præcedente, inuitatis publicè ad talem eſum populis, comediſtis. Sic ſacris lignis ſacrilegos ignes alentes, credo iuxta Prophetam Eſaiam cum idololatris dixiſtis;* Vah calefactus ſum, vidi focum. *Ita ignibus calefacti, carnibus impinguati, medullatum vos ipſos ſacrificium non Deo, ſed diabolo obtuliſtis: &, ſicut de præuaricatore populo Moyſes dicit;* Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo.

** Idem plurimis locis à Caluiniſtis factitatum. Habes hic Caluiniſmi & Lutheriſmi ſiunum iconiſmum.*

Eſa. 44.

Deut. 32.

Recedunt à Deo, qui Crucem negant.

Nulla ſalus Crucis contemptoribus.

Receßiſtis planè & vos, ſi adquieſcere non vultis, Crucem negando, à Deo ſalutari veſtro; à quo nullo pacto ſalutem conſequi poterit, quiſquis Crucem, in qua maximè ſalus eſt conſtituta, contempſerit. Credo, aſtu hæretico hoc vos conſilium inueniſſe; imò nequitiæ Principem per proprios vernulas, fallaciæ ſuæ optimè prouidiſſe; vt hoc vno iaculo, ſi vulnus incautis infligere poſſet, leui negotio, non tantum ſoſpitatem, ſed & vitam auferre valeret.

Sublata Cruce tollitur Crucifixus.

Nam ſublato de medio Crucis nomine, vbi Crucifixi mentio remanebit? Subtracto Crucifixi vocabulo, vbi mortis, vel paßionis recor-

recordatio permanebit? Ablata mortis vel passionis memoria, quæ redemptis spes salutis, euacuato redemptionis precio, supererit?

Sed noui, dolere vos vicem sociorum, & homines hæreticos, dæmonum iniurias velle vlcisci. Fugantur apostatæ spiritus, apparente Crucis signo; & superbi angeli, qui contra ipsam inuictam maiestatem caput erigere visi sunt, isto (quod sic contemnitis) abiectionis indicio, vt nebula matutini solis radiis discussa, vanescunt. Hac vos permoti iniuria, iurata contra Crucem Domini bella suscepistis, & homines nequiores dæmonibus, eorum pati dedecora non potestis. Non potestis certè, quod odiunt, diligere; quibus & in hac vita mores, & in futura ignes, nihil aduersum, nihil diuersum esse designant. Moribus ergò modernis, & ignibus æternis concors parilitas nil nos mirari faciunt, si & quod volunt, vultis, & quod nolunt, respuitis.

Crucis euersores vindicant iniuriam Dæmonibus per Crucem illatam.

Cruce fugantur Dæmones.

Stauromachi nequiores Dæmonibus.

Sed quos minamur ignes, forsitan vos non terrent: quoniam iuxta Esaiam; Pepigistis fœdus cum morte, & cum inferno fecistis pactum. *At secundum eundem*: fœdus vestrum cum morte dissipabitur, & pactum vestrum cum inferno non stabit. *Nam, vt Poëta ille ait*; Nulla fides regni sociis: *&, vt Christus in Euangelio*; Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. *Vnde, quoniam commune cum dæmonibus regnum delegistis, soluetur citò malè parta concordia: & impiorum pax diuturna esse non poterit: quia* non est pax, *dicit Deus meus*, impiis. *Fiet igitur lignum vitæ vobis lignum mortis: vt quos semel de eiusdem sacri ligni frustis succendistis focos, vobis perpetui perseuerent; &, sicut ipsis vos immortales, sic illi vobis inexstinguibiles permanebunt.*

Esa. 28.

Matth. 12.

Esa. 48.

Sed, ne moram faciam, spiret iam serpens sibila sua, & quibus diu tumet, venena profundat. Stultum est, *inquit*, & profanum adorare, vel venerari Crucem: quia, lignum, quod Christi membra torsit, magis est conterendum, vel comburendum, quàm venerandum, vel adorandum. * *O præclara sapientia: oratio de intimis eruta Philosophiæ. Non digno supplicio cruciatus Dominicos vindicatis: nec tantum scelus congrua vltione damnatis. Mors Domini non est horario expianda tormento: iniuria conditoris, non nisi pœna perpetua est punienda. Non est necesse, repetitis*

Primum argumentum contra Crucem, eiusq; cultum.

** Refutatio delira obiectionis.*

A consequentibus absurdis urget Hæreticos.

tis ictibus retundi secures vestras, nec feriendo membra laxare. Exstinguite ignes succensos, congestum aggerem Crucium dissipate; est, qui vlciscatur iniurias suas, Creator ipse, qui passus est, impiam Crucem, se torquentem torquebit; & cum Herode, ac Pilato, Iuda vel Caipha, eam in gehennam retrudet. Erit eis commune supplicium, quibus fuit par reatus; & quia Deo simul tormenta intulerunt, pariter in inferno ardebunt. Sic planè, sic iustum est: vt, qui de morte Dei cæli arguitur, non minore, quàm inferni supplicio puniatur. Hac iustitia, quidquid contumeliæ, vel indignitatis Deo homini materia fuit, condemnandum est. Inde loca ipsa Passionis execranda, ciuitas euertenda, sepulchrum eruendum: in quo, licet quieuerit, Deo tamen sepeliri iniuria exstitit. Mors eius insuper detestanda, passio conculcanda, &, vt breuiter multa dicam, tota saluatricis humilitatis dispensatio contemnenda.

Crux non rea mortis Christi.

Vt quid sic loquor? vt tanta vobis absurditate obiectâ, erubescatis: &, nulla pœna, vel contumelia dignam esse rem, in quam culpa non potest cadere, cognoscatis. Inesse enim culpa non potest, vbi ratio non est. Ratio verò non nisi in animali est. Sed Crux animal non est: vnde in ea ratio non est. Et, quia in ea ratio non est: neque culpa, vt dixi, est. Quod si culpa nulla in ea est, nec reatus mortis Christi ei imputandus est. Hoc si verum est, non erat ei, velut pro pœna culpæ, inferenda contumelia; non erat cadenda securibus, non ignibus concremanda. In cruciatibus enim, vel morte Saluatoris, praua tantum voluntas prauorum hominum condemnatur: quia, solus creaturæ rationalis affectus, creatoris gratia adiutus, vel desertus, semper aut remuneratur, aut condemnatur. Excusatur ergò hac gemina ratione Crux à reatu cruciatuum: quia, vbi sensus non fuit, nec assensus criminis esse potuit. Et quia reliqua passionis loca, ob salutarium pœnarum, quam contrahere non potuerunt, culpam, nec vos ipsi, vt æstimo, nec quilibet iudicat execranda. Malè igitur factum est, quando innoxium lignum, quasi nefandi sceleris obnoxium, præsumptuosis manibus vestris confractum est: Malè, quando iniustis ignibus combustum est.

Praua voluntas punitur, quæ nulla in Cruce Christi.

Secundum Hæreticorum argumentum.

Sed vos adhuc: Si quis, ô viri, laqueum, quo Patris guttur fregisset; gladium, quo amicum, vel fratrem necasset, vobis affe-

afferens, honorare, vel adorare vos illa moneret; nonne in monitorem (si facultas daretur) toto motu animi insurgeretis? nonne oblata aut flammis absumeretis, aut, quo fieri posset modo, pessundaretis?

Responsio.

Ista, cum in Capitolio senatorum, quales vos aggregare soletis, de consulari, vel regio tribunali, declamatorio ore, gestuq; terribili vobis proferre moris sit: adducto statim in sententiam vestram eruditissimorum illorum conuentu: inuicta orationi subitò acclamatur; altis omnes vocibus cognita tandem per vos veritati adgaudent: conflantur immensa in Crucem odia, ad vindicanda Crucifixi tormenta: contra Crucem gladiis, & ignibus vniuersi armantur.

Et quis vnquam præter vos, ô asinina stoliditas, paternam necem, vel fraternum sanguinem à laqueis, vel gladiis, & non magis à suspensoribus, vel necatoribus exegit? Quis vnquam, præter vos, in vindictam sanguinis, laqueos combussit, gladios confregit? Quis vnquam præter vos, peremptoriis instrumentis, & non potius perimentibus impiis iratus est? Quis vnquam, præter vos, aduersus arma, & non magis aduersus armatos armatus est? O tempora, ô mores! qui talia vel audire potestis. Indignabor, prostrato exercitu, contra tela inimicorum: & perempto Patre, aduersus gladios bella suscipiam. Irascar, occiso fratre, telo perimenti: & suspenso amico, in laqueum stomachum commouebo. Luent facta inimicorum, res innocua: & pro sceleribus impiorum, innocens creatura damnabitur. Et inferetur pœna non sentienti, & bruta rei contumelia irrogabitur. Dissecabitur illa gladiis, nec dolebit: comburetur ignibus, nec curabit: deformabitur ludibriis, nec erubescet. Pascetur his tormentis inimicus animus: & egregia vindicta satiatus, à furore concepto paulatim detumescet. Exardescet odium nostrum contra gladios hostium: & adepta victoria, sicut hostes perimi, sic istos, necesse erit confringi.

1.Reg.17. Gladius Goliath. 1.Reg.21.

Non sic (vt aliquid autoritatis addam) non sic famosus ille pugnator Dauid fecit. Non, inquam, execratus est, vel confregit Goliæ gentilis gladium, quem aduersum se ille produxerat, quo elatus, agminibus Israël exprobrauerat, acies Dei viuentis blasphemauerat: sed eo armatus, & tunc caput inimicum abstulit: & pòst, eundem de sanctuario

ctuario à sacerdote accepit. Qui nec inter sacra reponeretur, nec à Propheta in vsum bellandi acciperetur, si iuxta vestram sapientiam, execrandus, vel confringendus iudicaretur, nec diceretur de illo; Da mihi illum: non enim est hic alter similis illi.

Ibidem.

1. Machab. 3. Iudas Macchabæus.

Sed & de Iuda Macchabæo, optimo Hebræorum Duce, verax scriptura commemorat, quod deleto pagano exercitu, gladium Apollonij Ducis à se interfecti abstulit: & erat pugnans in eo omnibus diebus. *Sic certè Christus, ô hæretici, sic planè Christus, cruce sua contra mundi principem vsus est. Produxit ille procedens ad singulare certamen contra Christum, crucem Domini, qua eum occideret: sed diabolico astu diuina sapientia permutato, Cruce, qua eum appetiit, eâdem excruciatus est; & morte, qua eum exstinxit, eâdem ipse occisus est. Tunc impletum est, quod in Psalmo, quondam presbyteri, sæpe cantastis*: Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. *Sed liceat & mihi in conuentum vestrum illum intrare, & plebecula à vobis decepta iuxta deceptorium idioma locutionis vestræ, pauca proponere.*

Inter Petrobrusianos erãt quoq; Apostata Presbyteri.

Si quis, ô viri, laqueum, vel gladium præ manibus habens, vobis diceret: Ecce laqueus, quo suspensor Patris vestri suspensus est: ecce gladius, quo necator fratris vestri, vel amici charissimi necatus est: confringite, comburite, dissipate; quid vos? Nunquid ista suadenti crederetis? Nonne huiusmodi hominem aut insanire, aut inimico animo agi iudicaretis; qui vos & insensibilia torquere, & in res violatæ pietatis vindices exardescere admoneret? Sic isti, non veritatis, sed erroris, non salutis, sed perditionis vestræ magistri faciunt: qui Crucem Domini, per quam ille, qui, *secundum Euangelium, cui se credere dicunt,* homicida erat ab initio, *peremptus est, vos confringere, comburere, & perdere persuadent. Sic verè isti faciunt, qui Patrum vestrorum, qui vestri, qui ipsius Christi, quantum ad corpus, interfectorem diabolum vlcisci cupiunt, (vt ipsi fatentur) dum Crucem, per quam maximè ille periit, tantopere perire concupiscunt: cùm instrumentum, quo ad salutem vestram Saluator vsus est, ipsa cogente ratione, magis suscipiendũ, quàm confringendum, venerandum, quàm comburendum, exterminare contendunt: Et, ô iustitia, rem, vt dixi, absq; reatu damnare: ô vltio, rem insensibilem tormentis*

Retorquet in aduersarios exempla.

Ioan. 8.

Cruce periit Dæmon.

Ideo Crux seruari & honorari debet.

tis subiicere, effundere furorem in truncum aridum; & in lignum nil sentiens nefanda odia exhaurire.

Ista ratione, nimirum Christo fideles Christiani, contra Cruces Petri, & Andreæ Zeli gladio accingentur. Craticula Laurentij, licet ferrea, suis ignibus comburetur. Lapides Stephani in calcem conuertẽtur: eculei, laminæ, vngulæ, flagella, catenæ, vincula, carceres, compedes Martyrum; ne, quod fecerunt, ab istis patiantur, fuga celeri euanescent. Hac lege, quæcunq; molesta sunt humano corpori, humanis odiis digna erunt: infestas inimicorum manus, vbi occurrerint, non euadent. Tali modo aduersus ignem vrentem, aërem corrumpentem, aquam suffocantem, terram collidentem nostra indignatio succendetur, solem æstate feruentem, gelu hyeme torquens abominabitur. Et quia nihil corporeum est, quod non misero homini, reatu suo quolibet modo vertatur in pœnam, totus homo, contra totum mundum, omni annisu consurget, & totis viribus, vbi facultas data fuerit, habitaculum suum ipse habitator destruet.

Si frangẽda & exurenda crux Christi; etiam instrumenta, quib. Martyres excruciati & interfecti sunt; comminuenda esse. Etiam elementa, & omnes res corporeæ quæ hominem affligunt, vicissim pœnas subdi debebunt.

Sed fortè vos animosam Cyri regis arrogantiam æmulati, imitari proposuistis; qui absorptum maximo flumine (qui * *Ganges dicitur) dilectum equitem vlcisci cupiens, exarsit in flumen, & peruium se peditibus facturum comminans, impleuit promissum. In trecentos enim, & eo amplius alueos tumentes vndarum moles dispartiens, superbiam fluminis superbus imminuit. Et per plures tramites, vnius magnitudinem deriuans, naualem vix pompam dignantem, siccis, vt dixerat, pedibus fluuium meabilem fecit. Sed ille, licet insano zelo mortem militis sui vindicare voluerit, tamen ne & alij simili casu affecti morerentur, prouidit.*

* *Leg. Gyndes. Herodotus li. 5.* Quartus fluuius nominatur Gyndes, quem Cyrus aliquãdo in trecentos & sexaginta diduxit alueos. *Idem lib. 1.* Vnde & Gyndes, quem Cyrus in trecentos ac sexaginta diduxit riuos, fluit.

At vos è contra: qui cum certum teneatis, in morte Christi, quæ per Crucem acta est, vitam vniuersorum consistere, dum crucem de medio auferre vultis, vita omnium inuidetis. Cernitis adhuc, solenne, & pecoribus ipsis tam notum inconueniens? Videtis, non mœreri pœnam res sine culpa; tormenta insensibilibus non inferenda? Videtis quia & iniustè pœna innocenti, & stultè tormenta irrogantur non sentienti? Quæ cùm ita sint, si libet vobis tantopere redemptoris vindicare tormenta, quærite reum, qui mereri; & sensibilem, qui possit illatam pœnam sentire. Cumq; in tota visibili creatura solus simul &

Stultum tormenta irrogare nõ sentienti

rem, & sentiens apparuerit homo, agnoscetis tandem vos bestialiter desipuisse, & Apri, vel Vrsi more, elapso venatore, in venabulum inaniter morsibus, & vnguibus desæuiisse. Agnoscetis certè innocuas creaturas, iniustè, & ridiculè, belluino dente vestro vexatas, cum nec pœnam sentire potuerit nisi sensibilis, nec damnari debuerit, nisi culpabilis.

Apparebit vobis, vt dixi, solus reatui, & ideo iure tormentis subditus homo: quem solùm & iustè pro commissis arguere; &, à quo solo debitam vindictam meritò reposcere possitis. Quo facto, nec vniuersitas creatura insensibilis, vel irrationalis, indignationem vestram pro quibuslibet hominum molestiis incurret; & Crux Domini, ignes vestros, & gladios, sub quibus tremebat, hac ratione compellente, euadet. Euadet, inquam, vt innocens culpam, euadet vt insensibilis pœnam, & de morte Christi, iam non vt rea damnabitur, vel vt sensibilis punietur; sed suas lineas repetente Iustitia, &, qui delinquere potuit, inuestigabitur, &, non nisi qui deliquit, condemnabitur. Ea æquitate, cùm, sicut præmisi, solus inter mundanas creaturas inuentus fuerit, delinquere potuisse homo; ille tantum damnabitur, qui huius tanti criminis reus apparuerit homo. Sic planè, sic exigit lima veritatis, vt sicut omnem non reum saluat Iustitia; sic omnem iniustum damnet Iniustitia. Inde, cùm non omnem hominem, sed quosdam hominum, reatus suppliciorum, seu mortis Dominicæ reos ostenderit; aliis indemnatis, ipsi damnabuntur; aliis impunitis, illi tantummodo, quos praua voluntas reddidit noxios, punientur.

Quidã ex Christi crucifixoribus, conuersi ad fidem.

Nec ipsi etiam omnes punientur: quia, mutatis quidam affectibus, ad Christum conuersi, iustitia eius à culpa mundati, & morte eius, quam ipsi intulerant, sunt à morte erepti. Ad quid istud? vt videntes verè reos Dominicorum cruciatuum, mortem & digna supplicia pœnitentiæ remedio euasisse: Videntes, inquam, aliquando etiam reos homines saluari; nunquam ream Crucem Domini erubescatis damnare.

Petrobrusiani agrestes & rustici.

Quæ cùm ita sint, non valet parabola vestra, quam ad condemnandam Crucem Domini, rusticissimis, & imperitissimis hominum quisquiliis proponere soletis. Nam secundum ea, quæ proposita sunt, nec laqueus pro fracto gutture patris succendendus: nec gladius pro

peremp̄to

perempto fratre, vel amico fuerat confringendus. Vnde si ista pro vltione patris, amici, vel fratris non fuerant pessundanda; nec Crux Saluatoris, velut pro vindicta sanguinis, ac mortis eius, confringenda fuerat vel comburenda. Quoniam, vt sæpe iam dictum est, nec delinquere potuerunt; quia erant irrationabilia: nec rursum delinquere, vel sentire, quia erant insensibilia. Stultissimè igitur, & prauè factum est, quando Crux Domini, quæ nil deliquerat, nil sentiebat, tormentis subacta est.

Hæc inuicta ratio, salutari ligno iniustè quidem à vobis factam contumeliam ostendit: sed nondum honore, quo illud colimus, dignum probauit. Veniat ergo auctoritas, succedat & ratio; & Crucis lignum non iam contemptibile, sed gloriosum, Catholicis pariter, & hæreticis declaret.

Veniat igitur primus in Canone, primus & in nostra Oratione Moyses, signet agni sanguine in modum Crucis Hebræorum ostia, & superliminare domus; & vtroque poste linito, ingressum Angeli percutientis prohibeat. Mittat deinde in deserto lignum, huius ligni præmonstratiuum, in aquam, & eam de amara dulcem, de inutili potabilem faciat. Rursus percutiat virga bis silicem, Iudæo bis inclamante, Crucifige: & exeant de percussa silice, hoc est, Crucifixo Redemptore, aquæ largissimæ, quæ totum mundum baptismate & doctrina abluant; & populum ac iumenta, salutaris scilicet verbi longa siti deficientes, astutos pariter, ac stultos reficiant.

Probationes pro cultu Crucis.
Sanguis Agni postibus adium illitus.
Exod.12.
Exod.15.
Exod.17.
Lignũ à Moyse in amaram aquam missum.
Virga Moysis petram percutiens.

Colligat & vidua de Sarepta duo ligna, & aptet ea in Crucem, quæ per ignem passionis panem vitæ decoquat; cui & oleum sancti Spiritus addat: quibus tamdiu sustentetur, donec famelico præsentis vitæ tempori saturitas æterna succedat. De hinc in Ezechiele Propheta, frontibus virorum gementium, & dolentium super iniquitatibus Tau litera imprimatur, vt eo signo ab aliis discreti, mortem euadere possint. Intelligatur hoc elementum pro omnibus Hebræis literis non frustra ad signandas frontes assumptum, cùm tali nota Crux non iam præmonstretur, sed exhibeatur; quæ quicunque insigniti fuerint, à mundi interitu soli eruantur. Quibus iam communis interitus obesse non poterit, quos & damnata fletibus iniquitas, & diuina per Crucem subueniens pietas ab aliorum morte secernit.

3.Reg.17.
Vidua Sareptana.
Ezech.9.
Tau apud Ezech.

Ista

Argumentum ex figuris Crucis contra Hæreticos.

Ista si vos, de hæresi ad Iudaismum transitum facientes, in alios intellectus distorquere distortis sensibus volueritis; respondete, quæ necessitas signari postes domorum Agni sanguine, notari frontes hominum nota iam dicta coëgerit? An non possint aliter vel illi Angelum percussorem, vel isti gladium vltorem euadere? Erraret forsitan cælestis vindicta, nec inter Hebræos, & Aegyptios, inter iustos, & peccatores discernere posset, nisi & illos non esse Aegyptios, in ostiorum postibus legeret; & hos, à damnatis impiis secernendos, frons signata doceret? Et quid est, quod ibi tinctura sanguinis, cunctis Aegyptiorum coloribus antefertur, cum sanguinis litura vix ad momentum, aut colorem conseruare, aut, quid infecerit, valeat demonstrare? Quid est, quod non solum subliminare, nec soli postes, sed & superliminare, & postes signantur? Quid est, quod & sanguine, vt dixi, signantur, & non nisi sanguine agni signantur? Hæc, quia superfluè iussa, vel facta nec Christianus audet dicere, nec Iudæus; aliquid, præter quod tunc videbatur, ea prætendere, nec Christianus negabit, vt arbitror, nec Iudæus.

Hæc omnia valent quoque contra Iunium & alios Caluinistas.

Agnus Paschalis fuit typus Christi.

Et quia cum Christianis, licet malis, nunc mihi sermo est, & cum iis, qui se maximè Euangelio credere dicunt, nil credo congruentius ad hoc ænigma dissoluendum afferre poterunt, quàm Agnum illum esse, de quo Ioannes Baptista in Euangelio: Ecce Agnus Dei: *& Propheta;* sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. *Immolabunt agnum ad vesperam, occisum Christum ad finem seculi. Vnde Apostolus:* Pascha nostrum immolatus est Christus. *Et vnde David:* Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Sanguinem Agni, de quo Apostolus:* Si sanguis hircorum, & taurorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi? *Qui, quoniam in ligno fusus est, ligni postes eo liti sunt. Et quia in Cruce dextra, sinistra, superiorq; pars intincta est; sed nec inferior ad perfectum modum Crucis exprimendum defuisset, nisi, non conculcandum sanguinem Testamenti æterni, spiritus Dei, qui loquebatur, hoc silentio declarasset.*

Ioan. 1. Isa. 53. 1. Cor. 5. Psal. 140. Hebr. 9.

Cur postes ædiũ sanguine illiti.

De litera Tau.

Cur etiam litera illa præ ceteris literis, vel notis omnium gentium, ad signandas frontes gementium, & dolentium electa est? Dicat Iudæus, dicat Hæreticus, si quid potest. Cumq; vel tacuerint, vel

in

in commentis suis vterque defecerint, dicat Catholicus; Prophetam, volentem prædicere saluandos à communi interitu Christianos, signandos esse signo Crucis, non potuisse apertius exprimere, quàm ipso signo Crucis. Hoc non in qualibet corporis parte, sed in ipsa fronte depinxit, vt neque de opprobrio Christi cum Iudæis erubescamus, neque cum hæreticis crucem eius, non iam contumeliæ, sed honoris insigne abiiciendam, vel concremandam iudicemus. Nam & litera, quæ Tau dicitur, formam Crucis habens, non tantum apud Hebræos, sed etiam Græcos & nomen retinet, & figuram conseruat. Et apud Græcos quidem, quod ab initio habuerat, nec nomen, nec figuram mutauit. Apud Hebræos verò, licet formam mutauerit, vocabulum tamen hucusque seruauit. Si causa mutati elementi quæritur, in libris Ecclesiasticis, & Hebraicis inuenitur.

Ascendit, *ait Scriptura,* Esdras de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi. Velox; *non sensus vel nomina Hebraicarum literarum mutando; sed ampliores, & adscribendum habiliores characteres inueniendo. Seruabatur, teste B. Hieronymo harum linguarum doctissimo, forma huius literæ apud Samaritanos adhuc suo tempore; & fortè adhuc vel apud ipsos, vel apud quoslibet conseruatur. Nam mutantibus Iudæis literas suas, gens illa elementa, quæ à Iudæis acceperat, mutare noluit: sed, sicut ei primò tradita fuerant, literarum signa, & nomina illibata seruauit.*

1. Esd. 7. Esdras Auctor nouorum characterum apud Hebræos. Vide lib. 1. de S. Cruce cap. 1.

Verba verò S. Hieronymi, si tamen ea suscipere dignamini, in Commentario super Prophetam Ezechielem ita se habent: Antiquis, *ait,* Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau litera Crucis habet similitudinem: quæ, in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus impressione signatur. *Hoc B. Hieronymus. Militat ergo fidei nostræ, & non parum Crucis gloriam hoc propheticum elementum extollit; quod, non ab Esdra, licet magno homine, vel ab alio quolibet, sed ab ipso, & maximo legislatore, vel scriptore Moyse inuentum, & traditum est. Nam de Christo, teste ipso Christo, Moyses scripsit. Vnde,* quia, *iuxta B. Apostolum,* omnia in figura contingebant illis; *sicut totum corpus legis Christum sonabat; sic & istud elementum legis, Christi Crucem prædicabat. Nec tantum prædicabat, sed & ipsa forma visibili legentium oculis ingerebat.*

S. Hier. in cap. 9. Ezech. Repudiabant Petrobrusiani sanctos Patres, vt initio epistolæ suæ docet Petrus Abbas.

Ioan. 5.

1. Cor. 10.

Ingerebat, inquam, litera hæc formâ suâ legentium oculis Christi Crucem, prædicabat & nomine suo Christi in Cruce passionem. Nam, cùm Tau lingua Latina consummatio *dicatur: nonne iam hoc nomine Christi vocem vltimam in Cruce sonabat, qua dixit;* Consummatum est. *Nonne vniuersa de Christo antè prædicta, per Christi Crucem implenda, & consummanda esse, hoc suo nomine testificata est? Nonne iuxta Apostolum, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, pacificanda esse per sanguinem filij Dei, qui in Cruce fusus est, hoc suo nomine aptissimè demonstrabat?*

Quid Tau significet.

Ioan. 19.

1. Col. 1.

Illud quoq; huic intellectui seruit, quod hæc litera, nec prima, nec media, nec quolibet modo interposita, sed vltimo loco in literarum Hebraicarum ordine scribitur, vt formam Crucis habens litera, dum finem præcedentibus literis ponit, Christum Sacramento mortis suæ, quam in Cruce passus est, prioribus Sacramentis finem perficientem per Crucem imposuisse declaret. Sic litera prophetica, & Cruci Christi, eiusq; passioni famulans, cùm vel forma, vel nomine Hebræos, Græcos, Latinosq; occupauerit; quid aliud, quàm per tres principales linguas, omnibus linguis, & gentibus Christum per Crucem principaturum signauit? signauit planè Christum per Crucem dominaturum orbi terrarum, sicut & Apostolus ipse confirmat, dicens: Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris.

Philip. 2.

Quæ cùm ita sint, quis non videat, non solùm non esse contemnendam, imò maximè honorandam Crucem Domini, cùm ipse spiritus Domini, qui locutus est per Prophetam, tanto eam honore dignam iudicauerit? Iudicauit planè multo eam dignam honore, quando tanto ante Crucem tempore, nec Hebræos ab Angelo interfectore, nec flentes iustos ab impiorum interitu, absque eius signo saluauit. Indicauit multo eam dignam honore, cum eius signum, non in abscondito, vel obscuro, sed in aperto, & in lumine posuit, quando eo, & ostia, vt dixi, domorum, & frontes hominum, quæ magis se intuentium conspe-

Ipse Spiritus sanctus ostēdit Crucem esse honorandam.

conspectibus offerunt, insigniuit. Indicauit per Cruces ostiorum, totam sibi per Crucem mundi domum cessuram. Ostendit per Cruces frontium, totum sibi hominem, per Crucem vendicaturum.

Cùm ista ad gloriam Crucis magna sint, accedant adhuc maiora, & de noui Testamenti corpore exempla, vel testimonia Crucis gloriæ famulentur. Ad quam absque reclamatione reprobandam, more suo, Apostolus veniat, & garrulis stultis solo aduentus sui terrore silentium imponat. Audite saltem eum vos, qui nos audire dedignamini: & contra tubam cœlestem, si audetis, rauco vestro murmure mussitate. Audite amicum Crucis inimici Crucis, & quid de vobis sentiat, diligenter aduertite.

Testimonia pro cultu Crucis ex nouo Testamento.

Multi, *ait*, ambulant quos sæpe dicebam vobis; nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi: quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *Quid ad hac miserrimi hominum dicitis? Flet Apostolus ante tot secula interitum vestrum. Flet nondum natos inimicos Crucis Christi: Fert gloriam vestram versam in confusionem. Flet, & vos ridetis: plorat, & vos gaudetis: dolet, & vos lætamini. Quare hoc? quia, iuxta flentis Domini vocem, in hac die vestra, quæ ad pacem vobis, nunc autem abscondita sunt, ab oculis vestris: Sed patent oculis Apostolicis: & quis finis inimicos Crucis Christi sequatur, denuntiat:* quorum, *ait*, finis interitus.

Phil. 3.

Notent hæc Nouatores nostri.

Luc. 19.

Infelix sors vestra: Habent *alij secundum eundem Apostolum*, fructum suum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Habetis vos gloriam in confusione, finem verò interitum sempiternum. Quod si tanta meruerunt, qui non, vt vos, Cruci Christi inimicabantur; sed, quia quadam Cruci, id est, mortificationi spirituali contraria & faciebant, & dicebant, inimici Crucis dicuntur; quid vos mereri potestis, qui non tantum sacris virtutibus, quæ per Crucem signantur, aduersamini, sed & ipsum Crucis nomen Crucifixi cultoribus auferre conamini? sublata enim, vt supra dixi, Cruce, vbi erit Crucifixus?*

Rom. 6.

Sectarij peiores hostib. illis Crucis, de quibus S. Paulus.

Crucifixo recedente, quis erit vester Deus? Ille certè, de quo subdit: quorum Deus venter. *Credo Apostolum in spiritu præuidisse ventres vestros, carnibus igne Crucium coctis, distentos: & idcirco*

Phil. 3.

Qui Crucē incendit, crucifixum negat.

optimum vobis Deum ventrem *instituisse: vt, qui Crucē incendendo Crucifixum abnegastis, ventrem pro ipso Deum iam saturi haberetis.*

Hinc laudes Crucis, qui cœpit, perficiat, & post deploratam iniuriam, Doctor summus Ecclesiæ gloriam eius aperiat: Absit, *inquit,* mihi gloriari nisi in Cruce Domini mei IESV CHRISTI. *Puto quod non contumeliis, vel incendiis, vel incendiis dignam indicat, quam sic gloriosam prædicat, vt alibi, quàm in ipsa gloriari, alibi quàm in ipsa gloriam suam constituere nefas ducat:* Absit, *inquit, non contingat, nunquam sit, longè fiat à me hæc meditatio, hæc voluntas, hæc cogitatio.*

Galat.6.

Apostolus gloriatur in Cruce, Inde liquet, esse venerabilē.

Quæ vt intentionis meæ finem, laborum meorum requiem, passionum mercedem, totam illam, quam exspecto gloriam alibi, quàm in Cruce Domini ponere, aliunde quàm à Cruce Domini recipere velim. Non quod Cruci, quantum ad Crucem pertinet, aliud quàm cruciatum inesse intelligam: sed, quia cruciatu Crucis mihi salutem, ignominia Crucis gloriam, morte Crucis vitam mihi à Christo datam agnosco. Inde est, quod & glorior in infirmitatibus meis, non propter infirmitates ipsas, sed vt habitet in me virtus Christi. Hunc Apostolicum intellectum & beatitudines Euangelicæ probant, cùm beati pauperes, & beati qui lugent, & beati qui esuriunt, & beati pacifici, & qui persecutionem sustinent, *appellantur, non quod pauperies, luctus, esuries, aut patientia beatos faciant, sed quia regnum cœlorum pauperibus, consolatio lugentibus, saturitas esurientibus, Dei filiatio pacificis datur. Sic & de cæteris. Vnde sicut virtutes hæ, quæ licet torqueant, tamen glorificant, non sunt contemptibiles, sed gloriosæ; ita Crux Domini, quamuis eum torserit: quia tamen torquendo, gloriam peperit, gloriosa esse promeruit.*

2.Cor.12.

Matth.5.

Idcirco gloriatur in Cruce Apostolus: & non in ipsa gloriantes, de quibus & vos estis, inuehendo notat. Gloriatur, inquam, in Cruce, & eam gloria dignam prædicat, dum rursus in epistola ad Ephesios Christum reconciliasse ambos, hoc est, Iudæum, & Gentilem in vno suo corpore, Deo per Crucem, & interfecisse inimicitias in semetipso asserit. Gloriatur in Cruce, & eam gloria dignam prædicat, quando in subsequentibus flectere se genua ad Deum Patrem dicit: vt inter alia, quæ eis dare postulat, det eis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit Crucis eiusdem latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.

Ephes.2.

Ephes.3.

Etiam Auctor librorum Carolinorum lib.2. cap.28. hunc locum Apostoli de Cruce Christi explicat cū S. Augustino.

Videtis

Videtis Apostolum, summum post Christum Christianorum Magistrum, tot, tantisque testimoniis suis omnino, & per omnia sensui vestro contraria sapere, prædicationi vestræ dissona prædicare? Cernitis eum, non tantum Crucifixum, sed & Crucem eius maximis salutis humanæ mysteriis tantopere adaptare? Aduertitis formam eius, quæ adeò vobis contemnenda videbatur, vt flammis digna iudicaretur: quanto ille cælestium arcanorum scrutator honore dignã existimauerit, dixerit, scripserit? Non ille aut partem eius aliquam, aut totam simul, sed sigillatim, ac studiosè partes vniuersas Crucis enumerat: & non minus mysticis Sacramentis, quàm ipso Christi crucifixi corpore grauidã, velut multiplici fructu vitæ, arborem signat.

Vocat latitudinem lignum in transuerso positum: in quo Dominicæ manus fixæ fuerunt. Longitudinem illud, quod ab ipso protenditur vsq; ad terram, in quo pedes ipsius confixi sunt. Sublimitatem, illam ligni partem, quæ supra caput eius eminens, titulum, causam eius continentem, inscriptum habuit. Profundum, quod in imis occultatum, oculis penetrari non poterat. Hæ sunt Crucis partes, quas describit. His illa Crux Dominica constans; has magnis Sacramentis dicatas affirmat. Inde genua flectit, inde vt hæc illi possint apprehendere, supplicat, inde, vt dixi, latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum Crucis, non odiosa hominibus, sed preciosa esse debere declarat. Quia, si partes Crucis Apostolico testimonio laudabiles sunt, credo quod ipsa tota Crux, quæ ex illis partibus constat, non contemnenda, sed laudanda, & honoranda est. Hoc si ita est, non solùm à contumeliis vestris Crux Domini libera esse debere monstratur, sed & laudibus, & gloria digna esse probatur.

Quod si fortè quæritis, quid latitudo ab Apostolo posita? quid sublimitas? quid profundum mysterij contineant? non est hoc huius loci exponere: quia, non dicentis supra vos, sed disputantis contra vos officium assumpsi. Sed si de impietate ad pietatem mutatis in melius studiis, conuerti volueritis, poteritis & vos hoc comprehendere cum omnibus sanctis, vt, non blasphemãdo, sed humiliter & modestè petendo accipiatis: quærendo inueniatis; ac pulsando, aperiatur vobis.

Testimonia Christi pro Crucis honore.

Post Apostolum veniat & Dominus Apostolorum: &, quid erga Crucem suam animi gerat, exspectantibus nobis aperiat. Non puto crucia-

cruciatibus Crucis aliquem eo magis debere irasci, cum ipse tantùm his, non alius tortus fuerit: & cum pœnas vel præmia dispensare, non alterius, sed ipsius proprium sit. Audite ergò post alia de Cruce etiam Crucifixi sententiam; & eius saltem iudicio, vel honore vel contumelia dignam credite. Venturum se in fine sæculi ad discutienda, vel iudicanda mortalium facta, in Euangelio denuncians: Virtutes, *inquit,* cælorum mouebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo. *Quid rogo hîc dictum signum filij hominis putatis? Nunquid ipsum filium hominis? Sed, signum non est res eadem, cuius est signum. Aliud est enim signum: aliud illud, cuius est signum. Vnde, non potuit esse signum filij hominis, quod est ipse filius hominis. Quid ergò erit? Cogitate, quærite, vestigate. Quod erit tanti precij, tantæ gloriæ, tantæ sublimitatis signum, vt tunc appareat in cælo, quando ipse filius hominis cum virtute multa & maiestate descendet de cælo? sed quid laboratis? Nolite leuitatem ventorum, vanitatem vmbrarum, phantasmata somniorum, distortas persequi semitas errorum. Abiicite mendacia, in quibus nihil stabile: assumite veritatem, in qua nihil est mobile. Illud, illud est signum filij hominis, quod eum magis declarat esse filium hominis, quid verò eum adeò declarauit esse filium hominis, quam mors, quam nullus vnquam euadit filius hominis? Quam, quia in hac, de qua sermo est, Cruce, Christus pati voluit, licet esset filius hominis, filium tamen se esse hominis, per Crucem moriendo signauit. Signando ergò verum filium hominis, dicitur Crux verè signum filij hominis. Huic verbo Euangelico, & Euangelicus Propheta Esaias congruit, cum dicit;* Et leuabit Dominus signum in nationibus. *Sed & quod idem Propheta subiungit;* Et congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis. *Videte quàm aptè huic Euangelico capitulo conueniat. Nam, cum dixisset Dominus;* & tunc apparebit signum filij hominis in cælo; *vno versu interposito, ait;* Et mittet filius hominis angelos suos cum tuba, & voce magna; & congregabit electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum. *Sic certè, sic non solùm in sententia, sed & in verbis Propheta, & Euangelista conueniunt. Quod enim ille;* leuabit Dominus signum in nationes; *hoc iste;* appa-

Matth. 24.

Contra Caluinistas, qui per signum filij hominis intelligunt ipsum filium hominis.

Crux signum filij hominis.

Isa. 5.

Matth. 24.

apparebit signum filij hominis in cælo. *Quod ille*; congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis; *hoc iste*; mittet angelos suos cum tuba, & voce magna; & congregabit electos eius à quatuor ventis. *Nisi quod Propheta magis de primo Christi aduentu hoc videtur dicere: Euangelista verò de secundo hoc apertissimè dicit. Sed siue in primo, siue in secundo:* Signum leuatum in nationes, *Crux est, & apparens signum filij hominis in cælo, Crux est. Quæ quia & hîc in signum à Christo leuata, nationes orbis ad fidem salutis æternæ à quatuor ventis congregat, & in vltimo Christi iudicio ad eandem æternam salutem, & gloriam à quatuor ventis, hoc est, de toto mundo, electos in cælo apparens conuocat: summo ab eis honore colenda creditur, dicitur, prædicatur.*

An dignum est, vt, quam ad salutis humanæ causam commendandam cælum exhibet, terra respuat? An dignum est, vt eam homines abiiciant, quam Angeli honorant? An non honorant, quando commotis ad iudicium cæli virtutibus, ipsam mundo iudicando, secum pariter repræsentant? Nam, qui dixit, virtutes cælorum mouebuntur; *ipse subdidit*: Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo. *Cumq́, vt dictum est, hoc signum Crux Christi sit; cum virtutes cælorum, hoc est, ordo totus cælestium spirituum desuper veniens, apparuerit; tunc & ipsa pariter in cælo fulgebit. Fulgebit in cælo, vt discant terrigenæ, non posse sibi conscensum esse ad cælos, & agnoscant filij hominum non nisi per ipsam se posse fieri socios angelorum. Non est igitur honoranda ab hominibus, quæ angelicum eis honorem præparat? Non est glorificanda à mortalibus, quæ immortalem eis gloriam præstat? Non est vt vitalis & salutifera adoranda, quæ vitam mortuis beatam, quæ salutem perditis conferet æternam? Et planè, velint nolint hæretici, vitalis, quia vitam; salutifera, quia salutem; honorabilis, quia honorem; amabilis, quia amorem: admirabilis, quia admirationem: felix, quia felicitatem; nobilis, quia nobilitatem; beata, quia beatitudinem; gloriosa, quia gloriam præstat æternam.*

Non nisi per Crucem ascensus ad cælum

Fructus & effectus Crucis, vita, salus, honor, felicitas, nobilitas, beatitudo.

Qui ergò Crucem oderunt, quia Dominum torsit, diligant eam; quia non solùm nobis, sed & ipsi gloriam peperit. Peperit ei gloriam,

de qua

Hebr. 2. *de qua ait Apostolus: Vidimus* IESVM *propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. Peperit, inquam, gloriam, Crux Crucifixo: sicut & alibi idem Apostolus ait;* Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, &c. *sicut superius in alio loco posuimus. Hanc quia gloriam huiusmodi illi à Deo assumpto peperit, & nobis insuper vitam & gloriam æternam contulit, gloriosa esse promeruit.* Philip. 2.

Vtrum Crux sit adoranda.

Cùm ergò irrefragabili autoritate, & inuicta ratione honoranda, colenda, glorificanda Crux Christi à Christianis esse probetur: quod & adorari debeat, (sicut à quibusdam hæreticis negatur) sic vtrum fieri debeat, à quibusdam Catholicis quæritur. Hoc autem pro intellectu, quem nobis Dominus dare dignatur, pro facultate, quam ipse largitur, videndum, atque discutiendum est. Est honor, qui creaturæ impenditur; & est honor, qui tantum Creatori debetur. De honore, quem sibi inuicem rationalis creatura exhibere debet, scriptum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam; *&*, honore inuicem præuenientes; *&*, Regem honorificate; *&*, presbyteri, maximè qui in verbo laborant, duplici honore digni sunt, *&*, honorabile connubium in omnibus; *& mille talia, quæ secundum personarum, graduum, officiorum diuersitatem, vel magis vel minus obseruari iubentur.*

Distinctio honoru. Exod. 20. & Matth. 5. Rom. 12. 1. Pet. 2. 1. Tim. 5. Hebr. vlt. Deut. 6.

De honore, qui Deo tantum exhibendus est, ait scriptura: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: *&*, non erunt tibi dij alieni præter me; *&*, non facietis vobis sculptile, atque conflatile, neque ponetis in ignem, vt adoretis ea. *Et:* honora Dominum de tua substantia, & gloriam meam non dabo alteri: neque laudem meam sculptilibus, *& alia sexcenta, in quibus iuxta quod dicitur in libro Sapientiæ, incommunicabile nomen, & solitaria Deitati singulariter seruitus exhibenda apertè monstratur.*

S. Aug. Quæst. super Exod. lib. 2. c. 94.

Quæ secundum B. Patrem Augustinum, vt significantius exprimatur, Græcè latria *dicitur, & Latinè Dei cultus vocatur. Ad hanc diuinam seruitutem, ad hunc Dei cultum pertinent & sacrificia, quæ ante legem à Patriarchis facta sunt, quæ in lege à Moyse instituta sunt, quæ in tempore gratiæ à Christo præcepta, & à Christianis vsque ad fi-*

ad finem seculi obseruari, ab ipso iussa. Ad hunc Dei cultum pertinet & verbum hoc adorationis, *de quo agitur, sed tunc propriè, quando adorans, Deum tantum autorem, & rectorem suum esse intelligit: quando eum, vt Deum agnoscens, sic & glorificat, & gratias agit, quando totam spem suam in eo constituens, necessaria vniuersa se ab ipso solo accipere credit, quando auxilium suum non à quolibet montium, hoc est, Sanctorum, vel quorumlibet aliorum, sed* à Domino, qui fecit cælum, & terram, *omni remota ambiguitate confidit.*

Psal. 120.

Hanc seruitutem, hunc cultum sibi debitum, hoc, vt dixi, incommunicabile nomen, nec cælestibus spiritibus, nec terrenis hominibus, nec alicui creaturæ, nec ipsi omnium creaturarum beatissimæ matri suæ, ac Virgini Creator largitus est; qui, sicut ordine ipso Creationis, Creator creaturæ, quam creauit, meritò, iusteq; præfertur, sic decebat, vt prælatio ipsa, aliquo signo congruo signaretur. Signatur igitur prælata creaturis deitas sacrificiorum signo, signatur isto, signatur multiplici, quod nunc agitur, Christiani populi Sacramento. Hoc quicunque sibi arrogare concupiuit, & illud, quod habebat, amisit. Hinc primus archangelus, quia similis Deo esse conatus est, sicut fulgur de cælo cecidit. Hinc Adam illum damnatorem sobolis suæ, quia decepta coniugi adquieuit, deitas respuens socium de paradiso eiecit. Hinc & illos, qui latriam, (quam cultum diximus) idolis exhibebant, scriptura Christiana idololatras vocat, & sicut diuini honoris, & ordinis peruersores condemnat.

Latria soli Deo debetur, per se nimirum & vt vltimo termino, vt postea explicatur.

Huiusmodi Deitatis honorem nec ipse homo à Deo assumptus habuisset, nisi cum eo vna, eademq; persona fuisset. Sed, quia ipse dicit; cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum: *& Psalmista præcipit;* adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. *Terram corporis nostri in Dei filio adoramus, neque vt aliquid ab ipso remotum, sed ipsi ita vnitum, vt salua naturarum proprietate, idem quod ipse sit, honore Deo debito veneramur. Adoramus igitur hac adoratione Christum non tantùm Dei, sed & filium hominis. Adoramus & Crucem, imò in Cruce ipsum, qui Deus & homo est, crucifixum. Neque quantum in ipso est, aut lignum colimus, aut lignum adoramus: quia manet sententia;* Dominum

Esa. 66.

Psal. 98.

Adoramus Crucem non propter se, sed propter Crucifixum.

Deut. 6.

Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Sed dum Crucem me adorare dico, crucifixum, Dominum Deum meum esse, meq; illi soli seruire debere, profiteor.*

*Huic intellectui & illud attestatur, quod non solum Crucem Domini, sed & passionem eius, mortem, ac resurrectionem, & his similia, Catholica Ecclesia laudabili deuotione se adorare pronunciat. Sed mortem Domini, passionem, resurrectionem, atque ascensionem eius esse præterita, nec iam existentia, omnibus certum est. Fuerunt enim illa temporaliter Deo huiusmodi accidentia; quæ sicut illi cum prius non inessent, cum tempore aduenerunt, sic & cum tempore abscesserunt. Nam certo & finito temporis spatio moriens; certo & finito resurgens; certo & finito ascendens, docuit, illa præteriisse: se autem in perpetuum permanere. Vnde illa, sicut iam non existentia, adorari, vt dictum est, non possunt. Sicut igitur illa * non adorari, certa nullius substantiæ vel subsistentiæ ratio prohibet, quod tamen rationabilis ex deuotione * vsque exigit: sic Crucem Domini, quam ex se non adorandam esse autoritas præcipit, ratio docet; ex Christo, & in Christo ipsam, imò magis Christum in ipsa, venerandum, & adorandum esse, Deo prorsus subditus, & deuotus Christicolarum affectus inuenit, seruauit, instituit. Etenim, cum dico mortem Domini, resurrectionem Domini, ascensionem Domini adoro; non aliud, quam mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum, imò Dominum qui mortuus est, Dominum qui resurrexit, Dominum qui ascendit, adorare me profiteor. Simili intellectu, cum ante Crucem humiliatus prosternor, eum, qui in ipsa olim pro requie nostra tortus, pro vita nostra mortuus est, vt Deum, & Dominum, cui hoc soli debetur, adoro.*

** Videtur negatio redundare.*

** Vsus.*

Quomodo resurrectio & Ascensio Domini adorentur.

Quis adoretur in Cruce.

Idcirco autem hoc priuilegium Cruci Dominicæ datum est, vt in Creaturis sola post filium hominis, qui & filius Dei est, adoranda esse credatur, quatenus in morte Domini, quam in Cruce passus est, finem, summamq; salutis humanæ constitutam esse sciamus, & nequaquam, more infidelium, de Cruce, ac morte eius nos erubescere certis ac præcipuis humilitatis indiciis doceamus. Quia enim, sicut à bono viro dicitur; nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.

Nec

Nec confitentes Confessores, nec testificantes Martyres, nec nuntiatos Apostolos, nec praenunciantes Prophetas, nec ministrantes Angelos, nec ipsam, summi regis reclinatorium, summi Dei sacrarium, matrem eius scilicet, ac Virginem adoramus; quoniam, etsi per omnes illos salus iam dicta suis modis administrata est; per nullum tamen eorum, nisi per Crucem consummata est. In Cruce ergò, & per Crucem consummata est, in qua, inclinato in mortem capite, à Christo dictum est: Consummatum est.

Adoramus igitur eam prae caeteris propter salutem, qua prae caeteris electa est ad salutem. Adoramus eam, vt dixi, praecipuo humilitatis indicio; ne, cum Iudaeis, quibus scandalum; ne, cum gentibus, quibus stultitia; ne, cum Haereticis, quibus insania videtur, sapere videamur. Hoc praecipuo humilitatis indicio, mundi praecipuam saluatricem Christi humilitatem commendamus, quam nemo principum huius seculi nouit; &, quae abscondita est à sapientibus, & prudentibus, & reuelata tantum paruulis. Commendamus eam, quando maximè indignitati, crudeli tormento, publicae ignominiae colla submittimus: & mundum, elati hominis superbia condemnatum, hac humiliati Dei humilitate saluatum, Crucem eius humiliati adorantes, praedicamus.

Ioan. 19.
1. Cor. 1.
1. Cor. 2.
Matth. 11.

Sed est & alius adorationis modus: qui, licet eodem nomine, quo & ille, diuinum cultum significans, vocetur; non tamen eo, nisi humana, &, vt supra dictum est, hominibus impendenda reuerentia significatur. Hoc magnus ille Patriarcha Abraham adorauit populum terrae, filios scilicet Heth. Hoc Loth, testimonio quoque Petri Apostoli subuersores Sodomorum Angelos adorauit. Hoc fratres, Ioseph, etiam prostrati in terram. Hoc Iosue principem militiae Domini Angelum. Hoc Propheta Nathan, Dauid Regem. Hoc fortassis, etsi malus, Nabuchodonosor, Prophetam Danielem adorauit. Neque enim credendum est, sanctos homines, vel sanctos Angelos, cultum tantùm Deo debitum, aut hominibus impendisse, aut sibi impendi aequanimiter tolerasse. Vnde clarum est, modum hunc, non esse adorationis diuinae, sed venerationis humanae: nec esse singulare illud insigne deitatis, sed officiosam & communem exhibitionẽ honoris. Sed speciale

Alius adorationis modus.
Gen. 23.
2. Pet. 2.
Gen. 19.
Gen. 50.
Iosu. 5.
3. Reg. 1.
Dan. 2.

illud, omnem creaturam refugit: generale illud, tam creatori, quàm creaturæ rationali inseruit.

Nam irrationali honorem vel modicum exhibere, & autoritas prohibet, & ratio dissuadet: cùm tamen vel Sanctorum pignoribus, vel sacris locis, vestibus, vel vasis, seu quibuslibet talibus rebus honor defertur: non, quia sunt insensibilia, pulchra, suauia, pretiosa, vel quolibet modo corporaliter hominibus accommoda, fieri creditur: sed, quia Deo, vel sanctis eius perpetuò cum eo victuris, in his honor congruus exhibetur.

Si igitur, & hoc modo Crux Domini adoranda, id est, honoranda suscipitur, nec impium est, nec erroneum, sed pium, & salutiferum. Pium; quia à recta fidei tramite non discordat. Salutiferum; quia salutem piis adoratoribus, seu veneratoribus comparat. Licet ergò isto, vel illo modo Crucem Domini adorare, vt in illo, non tam ipsa, quàm Deus adoretur: in isto, non tam ipsa, quàm Deus honoretur. Illo; colatur in Cruce confixus: isto; veneretur in ligno autor eius. Illo; cultus diuinus, ipsi Deo per Crucem exhibeatur: isto; communis multorum honor, per eandem Crucem eidem Deo, cui debetur omnis honor, & gloria, impendatur.

FINIS.

INDI-

INDICVLVS.

A.

B.

thesau-

G.

H.

I.

Q.

R.

S.

Stre-

Errata.

P*AG.*13.*v.*16.putauerunt,*pro* potauerunt.16.*mere.in custode; repone, primere* 42.*v.*15.nardo Celtico,*pro* Celtica.45.*v.penult.* μύῤῥαν,*pro* μύῤῥαρ.

*Pag.*71. *Sequenti pagellæ facie, numerus est peruersus. nam* 27. *positum pro* 72.

*Pag.*80.*v.*6.*Sed & de illis; tolle copulam.*

*Pag.*82.*v.*29.exposaerunt,*pro* exposuerunt.

*Pag.*90.*v.*36.*tam ideam ẽ ob causam.pro, tamen id eam ob causam.*

*Pag.*109.*v.*16.inflantem,*pro* instantem.

*Pag.*110.*v.*10.lacrymis,*pro* lachrymas.

*Pag.*129.*v.*14.*&* 15.*experrus,pro expertus.*

*Pag.*133.*v.*37.*potuisse, repone, non potuisse.*

In fine cap.8.Disp.de vino myrrhato fol.21.adde. Videtur & Garcias ab Horto in Historia Aromatum lib.1.cap.52. murrhina pro *Porcellanis* habuisse: quando ita scribit. *Inuenitur Iaspidis genus viride, ex quo vasa murrhina conflantur (porcellanas vocant) adeò virentia, vt ex smaragdo conflata videantur. Huiusmodi vas murrhinum aliquando mihi propositum fuit venale ducentis pardaons, siue aureis Hispanicis: cuius, si ex smaragdo conflatum fuisset, millesimam partem eo precio vix nancisci potuissem.*